COLLECTIO DISSERTATIONUM MEDICARUM MARBURGENSIUM

FASCICULUS II.

MARBURGI

IN OFFICINA NOUA LIBRARIA ACADEMIAE.

1792.

1.

D. SEB. IOANN. LUD. DOERING

COMMENTATIO MEDICA

DE

V O M I T U.

MARBURGI

Literis nov. typograph. academ.

1792.

SERENISSIMO

POTENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

GUILIELMO IX.

HASSIAE LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIAE, COMITI CATIMELIBOCI,
DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE, SCHAUMBURGI ATQUE HANOVIAE RELIQUA.

PATRI PATRIAE

PRINCIPI SUO
AC DOMINO CLEMENTISSIMO
PIO ET OBSTRICTO ANIMO
HANC DISSERTATIONEM
IN
MONUMENTUM GRATISSIMAE ET DEVOTISSIMAE
ERGA
BENEFICIA MAGNA
IN SE
TRANSLATA
MENTIS
D. D. D.
ET
SE IN POSTERUM COMMENDATVM VULT

Devotiſſimus et Subjectiſſimus Cultor

Seb. Ioann. Ludov. Doering,
Caſſellis - Haſſus.

PRAEFATIO.

De Deliriis doctrinam HIPPOCRATIS Consanguineus meus amicissimus, E. W. H. DOERING, Vir eruditissimus atque experientissimus, pertractavit nuper. Ego vero aliud Caput doctrinae semiotices HIPPOCRATIS pertractandum elegi, scilicet *Emesin* s. *Vomitum*, eam ob caussam, ut pateat magis magisque, Hippocratem nulla obscuritate laborare,

atque

atque eum non ignorasse discrimen caussarum Vomitus, nec non signa ipsius imminentis, et quae praedictionem concernunt. Nihil eorum omisit HIPPOCRATES, quae diagnosin caussarum indicant, eventum praesagiunt, quem semioticorum facile princeps; suo tempore jamjam secundum caussarum differentiam definire docuit.

Sectio I.

Quaedam de Vomitu in genere.

Univerſam doctrinam de VOMITU, ſecundum praecepta Pathologiae atque Semioticaes pertractarunt:

HIPPOCRATES in Coacis 556 ſeq.;

PROSPER ALPIN, de Praeſagienda vita et morte aegrotantium Lib. VII, cum Praefatione H. BOERHAAVII ex edit. HIER: DAV. GAUBII L. B. 1733. 4. Libro VII et quidem Cap. VIII. pag. 471. De praedictione a vomitibus et primum de ſalutaribus. Cap. IX. p. 475. de vomitibus exitioſis mortem praemonſtrantibus.

KLEIN

Klein in libro, cui titulum fecit: Interpres Clinicus (Edit. Halleri, Frfrt. et Lipf. 1759 pag. 316-320.), prolixiori fermone;

Weber, in libro: de caufis et fignis morborum, Lib. 2. Heidelb. et Lipf. 1786. Capite 82. pag. 391. fqq. nec non;

Gruner in libro cui titulus: Semiotice Phyfiologicam et Pathologicam Generalem complexa Halae Magdeb. 1775. Part. II. Cap. III. Sect. I. Subfectione V. pag. 318-325.

Vomitus, excretio eorum, quae ventriculo continentur per os, in pathologicis modo vocatur *levis* et *fpontaneus*, qui fola ventriculi contractione, eaque modica, abfolvitur, v. c. a nimia ventriculi repletione per ingurgitata, cum alimenta tum potulenta,

In-

Infantes inprimis nimiam lactis copiam ingurgitatam ſponte iterum evomunt. In hoc genere vomitus, diaphragma et muſculi abdominis vix convelluntur, isque ſalutaris cenſendus eſt, nam cruda quaevis quae facile nocerent, ventriculus ſtatim proxima via expellit, morbosque arcet. Et hoc quidem fit ſalutari naturae medicatricis beneficio, quae cauſſis morborum perpetuo reſiſtit.

Datur denique Vomitus *atrox*, *continuus*, atque remediis vix coercendus. Vomitu equidem eiici ſolent quaevis ventriculi contenta, unde nova vomitus diviſio. Etenim mox exturbantur pituita, aqua et labes inteſtinalis, bilis, ſanguis, fex, vermes, calculi, materies ſebacea, immo nonnunquam peregrina deglutita, animalia ſaepe prodigioſa, ſi fabula vera, bilis atrox et acida ſaburra.

Non

Non ſolum vero per vomitum excerni ſolent, quae in ventriculo haerent, cibi crudi, non digeſti, aut corrupti, rancidi, acidum ſpontaneum, et quae in toto tubo cibario continentur, ſed altius humores deſcendunt, atque omnis lympha et ſerum ex toto corpore in canalem alimentarium alliciti, frequentiori et copioſiori vomitu tandem eliminari ſolent, ut oriatur demum Tabes et Macies totius corporis.

Vomitus ſpontaneus vomitus remedium eſt. Cruda enim ingeſta, et quae ſunt aliena reliqua, quae concoqui nequeunt, ventriculum irritant, et eo usque exſtimulant, donec ſeſe contrahat, atque contenta quaevis expellat.

Vomitus qui proprie morbus appellari meretur, dividi ſolet in vomitum *idiopathicum* et *ſympathicum*, ſ. qui conſenſus lege,

nafci

nasci solet. Vomitum *idiopathicum* appellamus omnem vomitum, qui a ventriculo laborante oritur scilic. a spasmo, inflammatione ventriculi, ejusque scirrho, callo, ulcere, carcinomate, hernia, et centum aliis caussis, a venenis permultis ore deglutitis, emeticis proprie dictis, nauseosis, et propter idiosyncrasiam quandam inimicis.

Vomitus qui sympathiae lege hominem vexare solet, exempla adeo sunt permulta, ut pagina vix capiat. Pertinent huc inprimis vomitus navigantium, eorum, qui curru vehuntur, hypochondriacorum et hystericarum, vomitus a laesione, commotione, vulnere capitis, a dolore a calculo renum, vesicae felleae, urinariae, vomitus a dolore omni vehementiori podagrico imprimis, febrium intermittentium; ante paroxismum et frigoris accessum, ab haemorrhoidibus, menstruis suppressis, ab ira et bilis effusione, ab omni ex-

an-

anthemate ante eruptionem v. c. variolis, morbillis, Peſte, harumque retroceſſione, immo a ſcabie ſuppreſſa et ab ulceribus imprudenter exſiccatis. Oritur etiam conſenſualis a herniis, ileo, colica, viſcerum imi ventris inflammatione, obſtructione, ſcirrho, carcinomate, a colica praeſertim ſtercoracea, a vermibus, conceptione et utero gravido, Tuſſis clangoſae (gall. Coqueluſche) ſymptoma admodum moleſtum eſt vomitus cum ſuffocationis periculo.

In Semioticis duplex vomitus genus occurrit tantum. Eſt enim vel *Criticus* ſ. ſalutaris, vera aut imperfecta criſis (lyſis) qua facta morbus vel ceſſat vel mitior ſit, vel *ſymptomaticus* ſ. qui non levat, ſed aut fatum exitiale indicat, aut novum morbum imminere docet. Vomitus vehemens et atrox multis modis nocet. Naſci ſolent nempe a vomitu nonnunquam Apoplexia, Ophthalmia gravis,

Hae-

Haemoptysis, Herniae, umbilicalis (Omphalocele, Exomphalos) inguinalis (Bubonocele) scrotalis femoralis, (Oscheocele), prolapsus vaginae, uteri et intestini recti; rumpuntur nonnunquam oesophagus, viscera, imprimis mollitie praeternaturali laborantia, struma ingens, et centum alia mala natales debent vi, qua partes affici solent. Aneurisma, varix, vomicae clausae pulmonum, mesenterii, sunt quoque vehementioris vomitus soboles. Fusiori sermone in Therapia generali explicari solent noxii effectus omnes ab abusu drasticorum emeticorum, et prudens atque circumspectus horum usus. Sola morbi Diagnosis, nec non Prognosis, nostrae considerationis objectum constituit, et de his seorsim dicam.

Sectio II.

De Signis Vomitus diagnosticis.

Signa diagnostica vomitus duplicis sunt generis, nempe vomitus ipsius praesentis et im-

imminentis. Vomitus ipse ex violenta corum, quae in ventriculo funt, excretione cognofcitur, et vomitus fpecies fponte patet, num fcilicet fit biliofus, pituitofus, verminofus caet. Qualitas enim excretorum vomitus fpeciem indicat, ut nullo egeat fcrutinio fere, quaenam vomitus fpecies adfit.

Sed longe plura dantur figna, quae vomitum imminentem praefagiunt. Sunt vero: Ventriculi inflatio, et molefta fenfatio et anxia, cardiogmus et cardialgia, fapor in ore naufeofus, modo rancidus, modo acidus, morfus in ore ventriculi, vomituritio, f. vomendi conatus adhuc fruftraneus, caloris, ficcitatis, ardoris in gula fenfus, odor peregrinus et moleftus in naribus et ftomacho natus, ciborum faftidium, hypochondria tumentia et dolentia, fitis, ructus frequentiores, molefti, copiofior falivae affluxus, labiorum oris, inferioris imprimis tremor et agitatio, extremo-

rum

rum frigus, genuum vacillatio, cephalalgia, vertigo; ſcotomia, a cenſenſu omnia, ut taceam centum alia ſigna et ſymptomata, quae vomitum imminentem praedicunt.

Quum is ſit ſcopus libelli mei, ut doceam, Hippocratem non ignoraſſe praecipua vomitus imminentis ſigna, liceat mihi ejus loca, prae caeteris memorabilia, ſeorſim hic apponere. Utar vero latina verſione Operum Hippocratis quam Foeſio debemus, quod praemonendum eſſe, cenſeo.

Sunt igitur, monente jam Hippocrate ſigna vomitus imminentis ſequentia

I) STOMACHI FASTIDIUM, ORIS VENTRICULI MORSUS, CREBRA SPUTATIO.

COAC. 142. *Quos vero ſtomachi faſtidium vexant, cum oris ventriculi morſu, et crebra ſputatione, iis vomitio adfutura eſt.*

II)

II) Crebra salivatio.

Coac. 566. *Qui vomituri sunt, iis antea os crebra salivatione impletur.*

III) Cephalalgia, Vertigo et oris ventriculi morsus.

Praenotion. 144. *Si quis in febre non lethali, dixerit caput dolore, aut tenebricosum quiddam ante oculos obversari, si etiam oris ventriculi morsus accesserit biliosa vomitio aderit. Quod si quoque rigor subortus fuerit, et inferioris praecordiorum partes frigidas habuerit, adhuc citius vomitio aderit. Si vero sub id tempus biberit quidpiam, aut ederit, id quam celerrime evomitur.*

Diversas species vomitus Hippocrates non ignoravit, sed horum omnino mentionem fecit. Occurrunt enim in monimentis Hip-

po-

POCRATES vomitus fincerus, *variegati* vel etiam lividi *coloris*, *biliofus*, *fanguineus*, *atrabilarius*, *aeruginofus*, *fubputris* et *gravis odoris*, *adfiduus*. Sed ne unum eundemque HIPPOCRATIS locum bis allegare coactus fum, fufficiat hic fubfiftere, et loca probantia Sectione fequenti, quae de prognofi agit opponere.

SECTIO III.

De Prognofi Vomitus.

Prognofis five *bona*, five *mala*, immo *anceps*, ut formari poffit, ad fequentia momenta inprimis refpiciendum eft:

1) *Cauffam et multiplex difcrimen cauffarum morbi*; Vomitus, a veneno, a drafticis, malus.

2) *naturam et indolem morbi ipfius* Vomitus *protopathicus*, *deuteropathicus idiopathicus*,

cus, *ſymptomaticus* et denique *ſympathicus*, non uno eodemque modo finiri ſolent, ſed eventus modo bonus, modo deletarius eſt. Cognita morbi natura, indole, cauſſis, non admodum difficile eſt, praeſagire exitum vomitus. Quis enim vomitum ab inflammatione ventriculi, atque viſcerum imi ventris nobiliorum ab exanthemate in febribus retrocedente, vel quavis alia metaſtaſi natum a podagra retrogreſſa caet. ſalutarum cenſebit.

3) *morbi tempus*

Revocanda ſunt ea in memoriam, quae in ſemiotica generali expoſita leguntur ſcilicet, Vomitus *criticus* cenſendus eſt qui contingit.

a) poſt ſigna coctionis praegreſſa,

b) die critico

c) atque quod praecipuum eſt cum Euphoria, ſ. aegroti emolumento et morbi ipſius mitigatione.

4) *ad qualitatem excretorum*

five fit fanguis, f. bilis, eaque vel flava, fincera, aeruginofa, atra, caet. Sive vomitus variegati coloris, f. denique odoris fubputridi et foetidi, adeo, ut aegrotus ipfe odorem moleftum vix ferre queat, Vomitus purulentus et corrupti fanguinis.

5) *modus excretionis.*

Num vomitus fit levior, an vero vera convulfio ventriculi, inteftinorum, vehementior motus antiperiftalticus, et cum vera convulfione diaphragmatis atque abdominis mufculorum.

Vires inprimis vitae funt, fuperftites adhuc, aut quae modum excedunt, aut denique deficiunt, quae morbi exitum definiunt.

Vomitus omnis vehementior vitae infidias ftruit, vires enim atque fuccos exhaurit, ta-

bem inducit, leucophlegmatiam, hydropem phthifin purulentam, immo propter conceffionem icterum. Longe plures effectus vomitus enormis iam fupra recenfui.

6) Ultimo denique ad *fymptomata concomitantia* vomitum eiusque *eventum* refpiciendum eft.

Vomitus enim cum fingultu, lypothymia tremore atque tendinum fubfultu, nec non cum extremorum frigore, faltim caloris abfentia, et pulfu exili, exitialis eft. Vomitus, qui fcirrhi ventriculi vel pylori calli, paralyfeos oris ventriculi, vifcerum indurationis, exulcerationis mefenterii, vomicae, morbi nigri caet: fymptoma eft, nullo modo felicem morbi eventum praefagit.

Sed audiamus nunc *Hippocratem* ipfum, eiusque effata, quae fatis fuperque teftantur,

fe-

femioticam *divi fenis* effe optimam, nec ulla temporum iniuria perituram fore unquam.

Sunt vero *figna mala*, et *trifte praefagium eft* VOMITUS, *fi*

I) A VULNERE CAPITIS.

a) COAC. 507. *Bilis vomitus vulneri fuccedens malum denunciat, praecipueque in capitis vulneribus.*

b) COAC. 500. *Ex cerebri vulnere, febris eft plurimum, ac bilis vomitus fuccedit, et corporis refolutio, iiq. perniciofe habent.*

II) AB ILEO.

Aphorism. VII, 10. Ab ileo Vomitus aut fingultus, aut convulfio, aut delirium, malum.

Capitis vehemens contufio ex vomitu biliofo, continuo, recrudefcente, cognofcitur. Eft mira fympathia caput inter et vifcera imi-

ven-

ventris, non fecus ac ventriculi et viſcerum cum capite. Permultis obſervationibus in libris medicorum aeque ac chirurgorum annalis conſtat, haud raro a capitis contuſione, cerebri commotione, vel vulnere, abſceſſus naſci lethales in ipſa hepatis ſubſtantia. Et haec omnia quidem debentur nervis, horumque mirabili ſympathiae quam mortalium nemo facile unquam explicabit. Solis phaenomenis debemus eſſe contenti, non ſecus ac HIPPOCRATES ſolis phaenomenis ſua aetate contentus fuit, et conditor totius ſtudii ſemiotici exſtitit.

Damnandus eſt VOMITUS.

III) SINCERUS.

a) COAC. *556. Vomitio autem maxime eſt innoxia, quae pituita et bile permixta eſt, dum ne admodum copioſa ſit. At ſinceriores vomitiones deteriores ſunt. Viridis quoque vomitus, et niger, et lividus, vitioſus eſt:*

Quod

Quod si omnes colores vomat exitiale est. Celerrimum autem exitium indicat, lividus et mali odoris. Morbum quoque adfert ruber vomitus, isque praecipue, si cum majore conatu et dolore contingat.

b) PRAENOT. 81. *Qui (vomitus) enim sinceriores, peiores sunt.*

IV) SINCERUS CUI SINGULTUS SUPERVENIT.

COAC. 565. *Ex sinceris vomitionibus singultus, malus est: mala quoque convulsio.*

V) SINCERUS CUM ANGORE, ET INCONTINENTI IACTATIONE CORPORIS.

PRAEDICT I. 62. *Vomitiones sincerae et cum angore, aut incontinenti corporis jactatione, damnandae sunt.*

VI) E contrario etiam pessimum VOMITUS genus *Variegati coloris.*

a) PRAE-

a) Praedict I. 60. *Vomitiones quoque variae mala sunt, praesertim si continento et assidue prodeunt.*

b) Coac. 556. *vid. supra.*

c) Praenot 82. *Si vero quod vomitione reiicitur porrum colore referat aut lividum, aut nigrum fuerit, quisquis horum colorum adfuerit pravus existimandus est.*

d) Praenot 83. *Quod si eodem vomitu omnes hi colores reiiciantus id exitiale est admodum.*

Damnantur quoque.

VII) Vomitus parvus.

Coac. 560. *Vomitus parvi et frequenter repetentes, biliosi, sinceri, mali sunt in copiosiore ventris subduetione, et intenso lumborum dolore,*

impri-

inprimis CUM VIGILIIS

COAC. 558. *Vomitiones exiguae, biliosae malum denunciant, tum vero praecipue si pirvigelio conflictentur aegri.*

VIII) nec non VOMITUS PORRACEUS.

PRAENOT 82 et 83. vid. supra.

IX) VOMITUS GRAVITER OLENS.

PRAENOT 85. *Omnesque subputres, et graves odores, in omnibus vomitionibus, mali.*

X) VOMITUS IS PESSIMUS CUI SUPERVENIT SINGULTUS.

a) APHORISM. VII. 3. *A vomitu singultus et oculi rubri malum.*

b) COAC. 565. *vid. supra.*

XI) VOMITUS CUI SUPERVENIT CONVULSIO.

a) COAC.

a) Coac. 565. v. ſupra.

b) Ibid. 567. *Ex epoto veratro convulſio, exitium adfert.*

c) Aphorism. VII. 25. *A purgantis potione convulſio, lethale.*

XII. Vomitus cui supervenit anxietas.

Coac. 561. *Ubi ex vomitu anxietudo occupat, vox ſtridula eſt, oculi pulvere obſiti, inſanie portenditur ac tales vehementi inſania correpti, voce defecti intereunt.*

XIII. Pessimus vomitus cum frigore, sudore et siti

Coac. 568. *In omni ſuperflua purgatione frigus cum ſudore exitiale. Et inter haec qui ſubinde vomunt, et ſiticuloſi ſunt, male habent. Qui vero anxietate laborant, cum lumborum dolore, iis alvus humectatur.*

XIV)

XIV) MALUS, SI SITIM AEGROTUS NON SENTIT.

COAC. 562. *In Vomitu, eum, qui siti prematur, sitis expertem esse malum est.*

XV) VOMITUS CRUENTUS FACILE IN PHTHISIN DEGENERAT.

APHORISM. VII. 78. *A sanguinis vomitu tabes, et puris purgatio sursum.*

APHORISM. VII. 37. *Qui sanguinem vomunt, siquidem sine febre salutare: si vero cum febre malum. Curandum autem refrigerantibus, et adstringentibus.*

XVI) VOMITUS CRUENTUS CUM FEBRE MULTA EXITIOSUS.

COAC. 426. *Qui sanguinem evomunt cum febre multa, dolore ad mammam, thoracem, et dorsum; quibus, inquam, haec insunt omnia ii brevi moriuntur: quibus autem non*

om

omnia, neque intense adsunt, tardius. Ad summum autem, diebus quatuordecim inflammationem concipiunt.

EPILOGUS.

Haec sunt praecipua, quae de vomitu, ejus discrimine et praesagiis in monimentis HIPPOCRATIS occurrunt. Et haec satis superque testantur, solertiori studio HIPPOCRATEM quaevis signa in omni morborum genere ponderasse. Mirum itaque non est, HIPPOCRATIS disciplinam semioticam ad nostrum usque tempus, mansisse normam praecipuam totius studii, qnod docet observationes colligere, atque horum ope statum morbi diiudicare.

Haec dum scribo in manus incidit: DIETER. FRIEDER. BÜTTNER Viri doctissimi libellus pereximius *Critica Semiologiae me-*

medicinalis rudimenta, Roſtockii 1791. In eodem pereximia ſunt monita Viri Sagaciſſimi de ſtudio ſemiotices perficiendo magis amplificandoque, cavendisque erroribus in cognoſcendis dijudicandisque morbis. Summa vero totius ſtudii ſemiotici lex haec eſt: „Obſervet medicus probe functiones laeſas ipſas, atque ſollicite circumſpiciat laeſarum functionum cauſſas, ſi ex his inter ſe probe collatis, definiet morbi exitum, ſive ſalutarem ſive lethalem. Non adeo facile errabit, qui didicit qua ratione ſigna quaevis laeſarum functionem indagari queant et debeant. Veram viam HIPPOCRATES monſtravit, quae eligenda eſt in arte inveniendi veritatem ſemioticam.

Semiotica, non neglecta tamen phyſiologia et pathologia, quae fundamenta praebent, princeps ſtudium medici eſto. Diſcat mature ſatis evolvere monimenta Magni HIPPO-

CRA-

CRATIS, CLAUD. GALENI, ARETAEI CAPPADOCIS, PAULI *ab* AEGINA, AETII, COELII AURELIANI aliorumque veterum, qui conditores funt ftudii noftri, difcat ex illis methodum difciplinae femioticae. Sed non negligendi hujus ftudii reftauratores quos inter eminet SYDENHAM fequuntur BAGLIV, H. BOERHAAVE et e nuperis HUXHAM aliique celebriores.

Exemplar fummorum in arte virorum, quorum memoria haud erit interitura, futuris etiam faeculis princeps ac optimum manebit.

Thefes.

THESES.

I. *Cryſtalliſatio Tart. emet. ſumme eſt repre-hendenda.*

II. *Fluxus menſtruus perquam neceſſarius eſt ad tuendam mulierum ſanitatem.*

III. *Una tantum exiſtit Febris, ſed varietate cauſſarum materialium et ſedis earum modificata.*

IV. *Nova Pathologia ex coniunctione ſcientifica et rationali veterum Pathologiae humoralis cum Pathologia ſolidari recentiorum eſt optima.*

V. *Nullum pathognomonicum inter Pleuritidem et Peripneumoniam ſignum.*

VI. *Quodvis irritamentum in corpore praediſpoſito Febrim generare poteſt.*

VII. *In manibus medici practici non dantur venena.*

VIII. *Methodus Schmuckeri in Hydrophobia a morſu canis rabidi eſt optima.*

IX. *Podagra, Catarrhus, Haemorrhoidesque maximum inter ſe habent nexum.*

X. *Gastrotomia in Ileo saepius est administranda.*

XI. *Cancri virus est miasma specificum.*

XII. *Methodus* MYNORI *in amputandis membris est omnibus aliis anteponenda.*

2.

Dr. Joh. Diet. Eggert

Commentatio

de

Virtute Anthelmintica

Geoffraeae Surinamensis

adiectis

observationibus recentioribus.

Marburgi

in nov. Bibliopol. academ. 1791.

PRAEFATIO.

Geoffraea Surinamensis cum haud ita pridem vſu excelluerit anthelmintico; eadem vlterius laudata me non inepte feciſſe puto. Quamvis enim quae exſtat, NICOLAI BONDT hujus argumenti diſſertatio longe emineat; non ſatis tamen omnibus nota videtur, nec ob nimium pretium in manibus verſari multorum. Hujus itaque Viri Eruditi aſſerta eximere graviora ſtatui et omiſſis, quae a fine

aliena erant, denuo tradere, enarratis tandem atque ſubiunctis, quae in *Clinico Marburgenſi* cortice *Geoffraeae Surin.* rite adhibito feliciter euenerunt; auctor ſi fieri poterit, amplioris ipſius vſus, admonitus iis quae in limine Pharmacopoeae Rationalis, libri perquam egregii, Piderit Vir Cel. ait „de Cortice Geoffraeae inermis nondum ſatis conſtat, an tantae ſit virtutis, ut locus ei detur in medicaminum catalogo ſelectiori. Praeterea ad ea remedia pertinet, quae cum violentia agunt." Ad hoc quod attinet, nulla omnino ejus violentia in aegrotis noſtris animaduerti potuit, illud autem, de quo dubitabat, nuperrime

factum

factum esse ab ARNEMANNO constat, vt, qui in ea, quam edidit, Materia Medica, medicamentis eum accensere selectioribus non timebat, laudatus ob id in *Annalibus literarum Jenensibus.* Non sunt igitur mea, quae jam in publicum prodierunt, inde tamen non reprehendendus forte, cum quae est sententia BALDINGERI Viri longe Celeberrimi, praestet novorum et inauditorum loco, quae tantum non semper paucissima sunt et emolumenti perexigui; dicta jam et vsu partim probata, si paene memoria exciderint et rariora sint, recudere aut excerpere et diuulgare denuo, obseruationibus vel confirmata vel refutata. Illud si con-

contigerit; vtilitas certe in omni laudis penuria ſat ampla apparet. Contigiſſe autem mihi dicere auſim illuſtrata iam et ante remedii memorati natura efficaciſſima, ſaluberrima.

Prooe-

NICOLAI BONDT Differtatio de Cortice Geoffraeae Surinamenfis, Lugd. Batav. 1788.

PROOEMIUM.

Midicaminis hiftoria.

Primam corticis Geoffraeae Iamaicenfis mentionem fecit P. DUGUID: memoratur poftea a DAN. MONRO, dein ab ANDERSONO; tandem G. WRIGHT hujus Geoffraeae ejusque corticis pleniorem reliquis hiftoriam dedit. Poft hunc autem ante annos aliquot alius Geoffraeae fpeciei cortex, Surinamenfis nempe innotuit, quippe quem I. P. van STUYVESANT in Surinamia cognovit primus, ibique adhibuit. Ex aegrotis nempe fervus Nigrita A. 1770 horrendas paffus con-

vulſiones et inſequentem durantemque per aliquot horas coecitatem. Plura ſigna vermium praeſentiam innuebant. Uſus anthelminticorum diagnoſin confirmavit, ſed curam abſolvere nequibat, conuulſionibus quotidie reuerſis. *Indianus* forte acceſſit, qui tribus ſuae ſacerdos et medicus, aegrum vermibus laborare et a ſe facile ſanari poſſe aſſerebat. Is curam ſuſcipere juſſus ſeceſſit et rediens paulo poſt ſecum afferebat potionem interea paratam, cujus circiter uncias duas aegro exhibuit. Quo facto magna deinceps vermium copia ejecta, aegerque ſanatus. Cognoſcere quidem ardebat van STUYVESANT remedium tam efficax; ſed irrito diu conatu. Ab *Indo* tandem in ſyluam ductus arborem vidit, cujus corticem ille vlterius deglubebat. Hunc recenter decoquebat. Decocti color et odor, imprimis vero effectus Indi fidem firmarunt.

Pri-

Primus autem, qui in Europa hunc corticem accepit, eſt peritiſſimus apud Trajectinos Pharmacopoeus L. IULIANUS, cui ex Surinamia ejus portio quaedam una cum foliis, floribus et fructibus miſſa eſt, quotannis in hunc usque diem nova copia liberaliter aucta. Hujus pluribus medicis ab ipſo dati multa fuere tentamina, quae colligere et publici juris facere ſtatuerat viri filius Doct. A. IULIANUS, ſed praematura morte impeditus. — Inde colligendi curam in ſe ſuſcepit A. VOLTELEN, viresque remedii ulterius explorauit. Qui me, cum de diſſertatióne inaugurali conſcribenda cogitarem, tum ſuas, tum aliorum medicorum cum ipſo communicatas obſeruationes vt publici juris facerem, concedendo, ad hoc argumentum elaborandum incitauit; quin et conceſſit ſpecimina, quae aſſeruabat, variasque deſcriptiones ex Colonia Surinamenſi

miſſas,

miſſas, quae in deſcriptione Botanica ſuppetebant, vſum vero laboratorii Academici pro examine chemico rite inſtituendo.

Caput primum.

Diſſeritur botanice de Geoffraea Surinamenſi.

§. I—V.

Aetas, qua innotuit Geoffraea — Characteres naturales generis — Genera affinia — Ordo naturalis.

Nec generis Geoffraeae nec ſpecierum mentio occurrit apud antiquiores, ut quibus patria ejus indeque ipſa ignota fuerat. Superiori tandem ſaeculo eam ſcriptores commemorant.

Ge-

Genus, cui *Geoffraeae* uel Geoffroyae nomen indidit Cel. IAQUIN in memoriam Viri A. I. GEOFFROY in systemate LINNEANO pertinet ad Classem *Diadelphiorum* et quidem ad ordinem ejus ultimum, qui flores decandros comprehendit. Generis characteres naturales vide apud LINNEUM *a*).

Genera huic affinia hactenus ignota sunt, a quibus sollicite distingui opus habeat; unicum enim est in tota Diadelphiorum classe genus, quod drupam profert. Mirari magis subit fructum drupaceum in planta florem papilionaceum gerente occurrere, magisque hoc mirum, si attendamus, quanta inter Pistillum et Pistilla plerorumque hujus classis generum, legu-

minа

a) In Gen. Plant. Gen. 952, Fas. ad Moen. 778.

mina proferentium, intercedat fimilitudo. Quis enim, fi planta ipfi ignota effet, ex fimili germine non legumen potius quam drupam exfpectaret?

Ad ordinem naturalem quod attinet, M. LINNEUS Geoffraeam ad ordinem plantarum *Papilionacearum* retulit *b*) Maxime vero ab hoc ordine recedit fructu fuo, quo ad ordinem *Pomaceorum*, et illorum quitem, qui drupam proferunt, accedere diceres; nam drupa generi noftro eft carnofa, magna, fubovata, fulco per longitudinem notata, unicam nucem duram continens, prorfus ut in memoratis Pomaceis, praetereaque eo accedere videtur, quod cultura forte, vti in

b) Fragmenta Methodi naturalis fubjecta operi de Gen. Plant.

in Pomaceis multis fieri folet, Drupae pulpam gratam edulem reddi poffe, nonnulla fuadent, Nec tamen ab ordine Papilionacearum hoc Geoffraeae genus divellendum cenfeo, cum tot habeat, tamque manifefta cum hoc ordine communia attributa et minus apte fub alio ordine collocari poffit.

§. V.

Species Geoffraeae, quae defcriptae exftant.

Apud Linneum vnica tantum fpecies numeratur, fcilicet *Geoffraea Spinofa*. Prima hujus mentio fub nomine *Umari* vel *Camarinebas* occurrit apud MARCGRAVIUM, deinde apud G. PISONEM: ex his defcriptionem fuam defumfit RAJUS. Omnium vero primus hanc arborem plene defcripfit, fructusque

que iconem addidit Cel. IAQUIN, quem vide c). Altera ſpecies quae deſcripta exſtat eſt *G. Iamaicenſis* Varii hujus mentionem fecerunt auctores ſcopo medico. Primam autem deſcriptionem dedit Doct. WRIGHT d) ſub nomine *Geoffraeae Jamaicenſis* inermis, vel Anglico ſub nomine *Cabbage*-bark-Tree.

§. VI.

Deſcriptio Botanica Geoffraeae Surinamenſis.

Tertiam haec conſtituit ſpeciem, quam cum nondum deſcripta ſit, quanta poſſumus

cura

(c Hiſt. Strip. Americ. pag. 207 et Tab. 180, Fig. 62.

d) Philoſ. Transact. Vol. LXVII, Part. 2, art. 28. pag. 507. ſeqq. cfr. quoque KLINGSOHR Diſſert. de Geoffraea inermi etc. §. III, IV. Erlang. 1789.

cura et fide defcribemus; fed viuam arborem infpicere non licuit, nec viua in Europa vnquam vifa eft. Defcribenda itaqne fuit ex variis ramulis partim ficcatis, partim liquore fpirituofo afferuatis. Ea igitur tantum notabo, quae vidi, additis tamen, quae ex defcriptionibus et delineationibus, ex Surinamia transmiffis, fatis certo confici poterant, quae nempe de caule ramisque vt et de colore floris inuenientur.

Radix ignota.

Caulis arboreus, ligneus, erectus longitudine plurium orgyarum, craffitie aliqnot fpithamarum, nudus, glaber, teres: terminatus *Ramis* numerofiffimis, fparfis, patentibus, fubdiuifis, longis: *ligno* duro, coloris aurantii, fusci: *medulla* coloris pallide flaui,

ex

ex cujus centro prodit liquor resinosus ruber arbore per transuersum dissecta.

Folia opposite pinnata, quadrijuga cum impari, ramea, numerosa, sparsa, patentia. *Foliola* oualia, ad basin saepe angustiora quam ad apicem, obtusa seu retusa, integerrima, superne nitida, saturate viridia, subtus pallidiora, vtrimque glabra, venosa, plana, petiolata, binos circiter pollices longa, pollicem lata: neruus major longitudinaliter per foliola decurrit, a quo venae ad latera procedunt: superior pagina secundum venarum decursum sulcata est, in inferiori ultra superficiem venae eminent.

Petioli communes teretes, superne canaliculati, patentes glabri, nudi, sublignosi. *Petioli partiales* breuissimi, tenues, supra le-

uis-

uiſſime canaliculati, folioli latitudine vix diſtantes.

Racemi compoſiti, ſublignoſi, ramei, erecti, nudi, glabri, teretes, ramoſiſſimi, diffuſi, ramis ſparſis. *Pedicelli* breues, teretes, glabri, ſparſi, oblique inſerti, ad ipſam inſertionem latescentes, ſuberecti.

Flores numeroſiſſimi, ſuberecti, corollis laete rubris, inodori, multum mellis continent, quod apium tota examina petunt: nulla tamen nectaria conſpiciuntur.

Cal. Perianthium monophyllum, campanulatum, inferum, quinquefidum, deciduum, glabrum, *laciniis* breuiſſimis, acutiusculis, erectis, binis ſuperioribus latioribus, diuergentibus.

Cor. Papilionacea, pentapetala, patens, calyce ſubtriplo longior.

Vexillum vngue tenui, anguſto, longitudine calycis: *lamina* ſubrotunda, emarginata, integerrima, ſtriata, vtrimque glabra, reflexa, in medio per longitudinem leuiter ſulcata, et binis maculis profundius purpureis notata.

Alae fere longitudine vexilli, erectae: *unguibus* anguſtiſſimis, linearibus, longitudine calycis: *laminis* ſemicordato-oblongis, obtuſis, integerrimis, extrorſum conuexis, intus concauis, vtrimque glabris.

Carina dipetala, petalis longitudine et figura alarum, paulo tamen latioribus, magis concauis, et baſi laminae, vlterius procurrente,

te, erectis, patentibus, margine inferiori leuiter inflexo.

Stam. Filamenta decem, filiformia, diadelpha (fimplex et nouemfidum), furfum reflexa, flauescentia, petalorum fere longitudine: fimplex filamentum breuius, fuperius: nouemfidum in tubum connatum cylindricum ad longitudinem circiter mediam ftaminum, fecundum longitudinem furfum hiantem.

Antherae fubrotundae.

Pist. *Germen* fuperum, oblongum, compreffum, bafi tenui infidens, dein fubito latescens et deorfum inflexum, glabrum, tubo ftaminum longius. *Stylus* filiformis, fubulatus, glaber, furfum reflexus, breuis. *Stigma* obtufum fimplex.

Per. Drupa carnoſa, compacta, ovalis, ab una parte planiuscula, ſulco longitudinali utrimque notata, glabra ſ. tuberoſa.

Sem. Nux biualuis, ab vna parte complanata, ovalis, duriſſima, monoſperma, extus fibrilloſa, longitudinaliter ſulcata. *Nucleus* magnus, intus albus, extus cuticula fusca obtectus, figuram nucis habens.

§. VII, VIII.

Notae characteriſticae, quibus ab aliis ſpeciebus diſtinguitur, definitio ſpecifica, locus natalis et nomina.

Conuenit cum utraque ſpecie ante memorata, et cum eadem ad Geoffraeae genus pertinet; diſtant autem ſpecies iſtae a noſtra ſignis aliquot characteriſticis *G. ſpinoſa* L. a *Geoffraea* Suri-

Surinamensi differt caule spinoso, racemis simplicibus, carina monopetala, compressa et germine subrotundo. G. *Iamaicensis* autem foliolis ovatis acuminatis, calyce colorato, profunde purpureo, vexillo introrsum concavo, et carinâ monopetala. Hinc *Geoffraeae Surinamensis* haec definitio specifica; est ipsa inermis, foliolis oualibus, obtusis s. retusis, carina dipetala.

Nomen specificum a loco natali desumsi, habitat enim in illa *Guyanae* Belgicae parte, quae *Surinamia* vocatur, An in aliis *Guyanae* partibus inueniatur, non constat, licet vero videatur simile. Incolit sylvas, et loca amat arenosa, elatiori in solo posita: rarius in arvis cultis obvia est. Bis in anno floret fructusque profert.

Nomen ab Indianis sive indigenis accepit *Wewe*: Nigritae autem idiomate suo Nigri-

ta —

ta — Anglico arborem vocant *Blakke Cabbes* i. e. *Cabbes nigrum* vel *Worm-houde* lat. *Cortex anthelminticus.*

§. IX.

De alia Geoffr. ſpecie vel alicujus ſpeciei varietate.

Arbor caulem habet erectum, hic illic ramos alternos emittentem. *Folia* ſunt pinnata cum impari, ſed quinque paria conſtanter obſervantur; *foliola* ſunt ovata acuminata, magis glabra, minus nervoſa quam in noſtra ſpecie. *Flores* numeroſi in racemis collocantur, papilionacei coloris pallide coerulei. Partes floris ſatis cum noſtra ſpecie conveniunt. *Fructus* eſt drupa nucem continens ovatam, acuminatam, magnitudine nucis juglandis Bis in anno floret. Vocatur ab incolis Indianis

He-

Hereiouré. Nigritae eam vocant *Masculam*, vt a defcripta noftra fpecie eam diftinguant, cui viribus anthelminticis longe cedit. Satis frequenter haec occurrit, quod notandum, quia fieri poffet, vt in pofterum hujus cortex, qui ob virium debilitatem in Surinamia inufitatus eft, per fraudem vero cortici fubftituatur. Ex figura foliolorum fi concludere licet, proxime accedit ad G. *Iamaicenfem*, cum qua forte eadem fpecies, ejufue varietas eft.

Caput fecundum.

Exhibens Corticis Geoffraeae Surinamenfis notas externas et examen Chemicum.

§. I, II.

De trunco detractus in frufta longitudinalia plana fecatur, pedem et ultra longa, pollices ali-

aliquot lata, ponderoſa, notabilem craſſitiem habentia, quae tamen craſſities differt pro arboris aetate, vel prout a ramis vel a trunco cortex deſumitur. Exterior hujus facies tegitur variis vegetabilibus e Muſcorum et Algarum familia, praeſertim Lichenibus, vnde color extus maximam partem cinereus eſt. His ſeparatis conſpicitur epidermis coloris, rubri, purpurei, fuſci, intermixto cinereo, pro varia aetate trunci, vnde deglubitur cortex. Sub hac latet corticis ſubſtantia filamentoſa, lamelloſa, admodum tenax, compacta, coloris intus ferruginei, fuſceſcentis, interdum magis diluti, praeſertim, qua ligno propior eſt, intermixtis hic illic ſtriis, maculisque profundius coloratis, rubris, fuſcis. Per transverſum ſectus cortex ſplendet, et colorem offert variegatum: in pulverem tritus pallide cinnamomeum. Denique vbi ligno contiguus

eſt

eſt cortex, colorem induit atro-purpureum, vel ex nigro, purpureo et albo variegatum, vel et punctis albicantibus interſperſum. Cortex inodorus eſt, ſaltem, ſi aliquamdiu aſſervatus fuerit, recens enim vbi ex Surinamia advehitur, odorem proprium nauſeoſum ſpirat. Saporem habet leviter amarum, acerbiusculum; minus eſt manifeſtus in annoſioris trunci cortice. Inſignior vero eſt amarities in lamella illa atro-purpurea, quae corticem ab interiori parte inveſtit. Quibus traditis facillime diſtingui poterit ab aliis, imprimis vero a cortice G. Iamaicenſi, vt qui interdum pro noſtro divendi ſolet, nec ſine periculo, diverſa enim ipſius natura, et longe violentiores effectus.

§. III.

Destillatio sicca.

Cort. Geoffr. Surin. vnc. 16. primo igne admodum leni dedere *Phlegma* fere excolor, odoris debilis, nauseosi, cortici proprii, nonnihil empyreumatici, saporis aliquantum aciduli: cum alcalino sale tamen non efferbuit, nec colorem syrupi violarum mutauit; tincturae tamen Heliotropii colorem rubrum fecit. Altero die aucto igne obtinuimus *Spiritum* coloris rubri, fusci: odorem habuit ligni ambusti: sapor acidissimus erat, empyreumaticus. Tertio tandem die igne sensim ad summum aucto prodierunt *Spiritus posterior* et *oleum*. Illius color magis fuscus erat, odor ambustus, sapor acidus, amaricans, parum tamen cum lixiuio alcalino efferbuit; Oleum spissum fuit, nigrum, piceum, odor empyreumaticus. Car-

bo in puluerem redactus nihil ferri ad magnetem ostendit.

§. IV, V.

Destillatio humida. — Extractum aquosum.

Geoffraeae conscissae vnc. 32. cum aquae pint. 14 emiserunt *aquam stillatitiam* limpidam fere, aliquantum tamen lactescentem, omni vero oleo destitutam; odoris nauseosi, peculiaris, satis fortis, phlegmatis odoris similis. Sapor odori similis, fatuus. Colorem syrupi violarum et tincturae Heliotr. non mutauit. Nullam fecit praecipitationem ex solutione Mercurii sublimati, corrosiui, nec ex solutione argenti. Aquam calcis pariter non turbauit. Liquor in aheno superstes, odoris expers erat. Sapor ejus amarus, adstringens. Color ruber, fuscus, valde satu-

turatus, pellucidus tamen. Qui quidem liquor exhibuit *Extractum aquosum* coloris nigerrimi: odoris leuis, peculiaris, referentis odorem amygdalae amarae; sapore erat amarissimo, acerbo. Cum aqua conquassatum valide spumabat; spuma coloris erat carnei, aqua colorem inde induebat fuscum.

Corticis, qui humidae destillationi inseruierat, *Decoctum* habuit colorem rubrum, fuscum, minus saturatum; saporem amaricantem, odorem nullum. Inspissatum est in *Extractum* priori omnino simile, nisi quod coloris esset minus obscure nigri, et amygdalarum odor manifestius perciperetur.

Vt autem de Extracti aquosi quantitate accuratius constaret, cort. G., debite concisi unc. 8. cum aquae pluuiae pintis 6 leniter de-

coctae

coctae sunt per sesqui horam. Decoctum spissum fuit, fusco-rubrum, saturatissimum, pellucidum tamen: Residuo additae sunt aquae pint. 6. et decoctio repetita. Colatus liquor similis priori, minus tamen saturatus. Additis tertia et quarta vice totidem aquae pintis et decoctione per bihorium facta Decoctum primo colorem exhibuit dilute fuscum, rubrum, deinde vero leuiter bruneum flauescentem, saporem amaricantem, vix sensibilem. Post peractam inspissationem ad consistentiam mellis crassioris vel electuarii, *Extractum* ponderauit vnc. 1. dr. 2. gr. 36. pellicula vero in superficie enata et seorsim seruata dr. 3. gr. 4. Colorem habebat illud nigrum; pellicula ad fuscum magis vergebat. Odor vtrique erat amygdalas amaras referens. Sapor admodum amarus. Cum aqua spumabant, eique colorem fuscum tribuebant.

§. VI.

§. VI, VII.

Resina. — Extractum aquosum Corticis, ex quo Resina elicita erat.

Resina, quam ex cort. vnc. 8. obtinebam, friabilis erat, digitis parum adhaerens. Manducata dentibus adhaerebat. Color erat profunde ruber. Odor spirituosus, resinosus. Sapor amaricans; super carbone ignito sub intumescentia fumum emittebat odoris resinosi. Accedente flamma ardebat, relicto tandem carbone nigro, spongioso, friabili.

Extracti aquosi portio in isto cortice relicta indeque parta, colorem, odorem, saporem et reliqua attributa cum prioribus Extractis communia habuit.

§. X.

§. X.

Terrae, Rhabarbari dictae, ex Cortice separatio.

Ex binis methodis, quas commendat Cl. SCHEELIUS, prior, quae fit per repetitas cum aqua calida infusiones, ob insignem substantiae corticis duritiem et tenacitatem scopo parum idonea videbatur: vnde posteriorem elegi, per quam etiam, si parum tantum hujus terrae inest, haec facilius et certius detegitur. *Terra* hoc modo parta colorem album habuit. Cum acido nitroso non efferbuit, nec in eo solui potuit. Super ferro candente flagrauit flamma coerulea, viridescente, et quod a conflagratione residuum erat, jam valide cum acido nitroso efferbuit, pleneque in eo solutum est. Dotes igitur varias *Terrae Rhabarbari* exhibuit. Vt vero ejus natura apertius

tius confpiceretur, *Terrae* hujus Nr. 1. cum liquore alcalino, aërato, puriffimo, decocta eft. Poftea liquor colatus et puluis rite ablutus eft. Huic additum Acidum nitrofum fub efferuescentia magnam ejus partem foluit. Defufo liquore, fuperftiti pulveri, probe abluto, denuo additus eft liquor alcalinus, et poft coctionem refiduum eodem modo cum acido nitrofo iterum tractatum. Sic poft quartam coctionem cum alcalino lixiuio, Acidum nitrofum terram refiduam ex toto fere foluit, relicto tantum puluisculo grifeo, perexiguo. Partem hujus liquoris alcalini cum *Terra* decocti faturaui Acido nitrofo. Aquam calcis tum affudi; vnde orta eft lactescentia, puluisque albus ad fundum fenfim depofitus, qui ablutus et ficcatus cum Acido nitrofo non efferbuit, nec in eo folutus eft. Super ferro candente cum fcintillatione comburebatur, jamque

que cum Acido nitroſo efferueſcebat, plenamque patiebatur ſolutionem. Vera ergo Terra Rhabarbari regenerata erat; ex terreſtri aquae calcis parte, et Acido peculiari, quod lixiuii alcalini ope e praecipitata ex Acido muriatico terra fuerat extractum, nata.

§. XI.

Cineris examen.

Carbo a deſtillatione ſicca (§. 3) relictus et acceuſus in cineres albentes, griſeos dilapſus eſt. Habuimus poſt calcinationem cineris griſei dr. 6. gr. 43, cui intermixtae erant particulae nonnullae coloris aeruginoſi. Ad magnetem moleculas martiales, paucas tamen, oſtendit.

Facta eſt hujus cineris cum ſ. q. aquae elixiuiatio. Lixiuium ſaporem habuit alcalinum.

Sub euaporatione calx inde feparata fundum petiit: haec ablata et feorfim feruata. Obtinuimus dein per euaporationem primo *falem cryftallinum*, qui perfecte Sal medius erat, ejusque ex notis concludendum videtur, effe hunc falem *Tartarum vitriolatum* cum intermixto fale *febrifugo*. Liquor fuperftes ad plenam ficcitatem infpiffatus eft. Ipfe fal fapore alcalinam indolem oftendit. Partem ejus faturaui Acido nitrofo. Per euaporationem fic exhibuit *Nitrum* ordinarium hexaëdrum. Verum itaque *Alcali fixum vegetabile* hic fal conftituit.

Calcis cremorem fub euaporatione e lixiuio excuffum effe veram calcem, oftendit folutio in Acido Vitriolico et Nitrofo. Cum priori dedit felenitidem vitriolicum; cum pofteriori fyrupi confiftentiam acquifiuit, absque vt cryftalli nafcerentur.

In

In cinerem deinde etiam redactae ſunt Vnc. 16 Corticis ad deſtillationem humidam adhibiti et poſtea iterum decocti, poſtquam rite ſiccatus eſſet. Lixiuium ſaporis erat alcalini. Vlterius exploratum maxima ex parte aqua calcis erat. Octo elixiuiationibus opus erat, antequam calcem non amplius aſſumeret aqua. Sub euaporatione calx itidem fundum petiit. Ex toto fere liquor euaporatus fuit, antequam ſalinae miculae apparerent. Frigori et quieti tunc expoſitus dedit cryſtallulos cubicas, inter quas nonnullae conſpiciebantur, quae formam habebant acicularum pyramidalium. Super pruna cum decrepitatione diſſiliebant. Sapore erant ſalino. In aqua calida ſolutae Mercurium ex Acido nitri praecipitabant colore ſordide albente. Concludimus itaque, *ſal febrifugum* has cryſtallos conſtituere cum admixta particula tartari vitriolati.

Denique incineratio facta eſt vnc. 8 cort. Geoffr., quae ad obtinendam terram Rhabarbari, cum Acido muriatico digeſtae erant. Primum lixiuium calcem etiam ſolutam tenuit, ſecundum tertiumque ea vacuum fuit. Sub euaporatione calx praecipitata eſt. Omni ferme liquido abacto particulas aliquas ſalinas dedit; ſed tam exiguas et paucas, vt examinari non potuerint.

§. XII.

Terrae, poſt cineris elixiuiationem relictae, examen.

Hujus immiſſae ſunt portiones in Acidum vitriolicum, nitroſum et acetoſum. Cum binis prioribus orta eſt magna efferuescentia; in Acido aceti parua tantum et vix conſpicua. Solutio in Acido vitriolico parum ſelenitidis flauicantis ſolutum continuit. In Acido nitroſo maxima pars ſoluta eſt. Solutio ferrum continebat. Euaporata eſt in conſiſtentiam ſyrupi, absque vt vllae cryſtalli enaſcerentur.

Sapor

Sapor erat acris, amarus. Solutio in Acido aceti ſpeciem cryſtallorum exhibuit, ſalem amianthinum, ſaporis acriusculi, amari. Quae omnia ſatis oſtendunt, ſolutam fuiſſe *terram calcaream* et aliquid *ferri*.

Caput tertium.

De viribus medicatis Corticis Geoffr. Surin. et de modo eum exhibendi. — Praemiſſae ſunt Medicorum aliquot obſervationes huc pertinentes.

§. I.

Cl. VOLTELEN *judicium de viribus noſtri corticis; ejusque obſeruationes practicae.*

Inſtitutis, inquit, innumeris fere experimentis et obſeruationibus iisque rite dijudicatis, mihi perſuaſiſſimum eſt, eam eſſe hujus remedii in medendo vim atque praeſtantiam, vt veniam facile me impetraturum confidam, qui in tanta medicamentorum, qua hodie laboramus

ramus, copia, nouum rursus praedicare susti-ncam.

Eſt enim ſumma hujus corticis in necandis exturbandisque vermibus efficacia. Quo ſolo effectu, maxime conſpicuo, celebritatis laudem apud Surinamenſes nactus eſt conſtantiſſimam. Sub ejus autem vſu mirum, quanta ſimul tenacis pituitae copia ſurſum deorſumque moueri expellique ſoleat. Quo accidit ſubinde, vt praeter opinionem morbus, a vermibus oriri creditus, ſine vlla horum excretione feliciſſime fuerit ſublatus.

Accedit hisce ſingularis, quem in vias vrinarias exercet, ſtimulus; copioſum lotii fluxum impetuoſe quandoque ciens.

Aluum praeterea modeſte ſollicitat plerumque. Nonnunquam emeſin quoque mouet.

Illud tamen praetermitti non debet, actionem hujus remedii non ſemper adeo tranquille

quille abſolui, vt non aliquando turbas ſatis magnas inde excitatas viderim. Praeter nauſeas enim et vomituritiones, ſubinde anxietates creat ſummas. Ne dicam de veſicae tenesmo, quem in ſenſilioribus producere nonnunquam ſolet. Viſi autem ſunt magis in vniuerſum pati homines adulti, quam pueri. Tum quoque ſub altera remedii exhibitione ſaepius, quam prima. Neque tamen mali quicquam ab eo productum vidi vnquam. Nec difficile, memoratis excurrere incommodis, ſiue doſin moderando, ſeu medicamento aliquo carminante, aromatico, antiſpasmodico, inprimis Mentha, Cinamomo etc. adjecto.

(Duodecim, quae confirment iſta, ſequuntur Viri Cel. obſeruationes, quarum *primam* hic transſcripſiſſe ſufficiat.)

Vir 30 annorum fortis, toroſus, per triennium et vltra ſaeuis ventris torminibus, per interualla ingruentibus, miſere affligebatur maxime jejunus, quae alui aliquot egeſtionibus

bus mucosis tandem soluebantur, reliquiis functionibus illibatis.

Nausea matutina; ingratus inanitionis et reptatus in abdomine sensus, post prandium sublatus; narium titillatio, et frequens, sine alia causa manifesta, haemorrhagia; pupillarum ingens dilatatio vermium quidem suspicionem mouebant summam. Quum vero jam olim celebratissima quaeque anthelmintica diu multumque a variis medicis essent adhibita, quin vlli vnquam vermes essent excreti; visum fuit emeticis catharticisque canalem cibarium debite expurgare. Sed neque his, neque incidentibus, amaris, roborantibus, antispasmodicis, postea in auxilium vocatis, vllum doloris lenimen allatum est. Tandem itaque iisdem vermium signis continuo perstantibus, *Geoffraeae corticem* experiri placuit. Hujus ergo Vnc. 2 in aquae lib. 2 ad dimidium decoctas propinaui, sic vt per triduum omne mane Decocti pars tertia hauriretur. Primo die effectus vix sensibilis, praeter alui mucosae eua-

cua-

cuationem auctam. Altero continua vomituritio et anxietas. Tertio die nausea perpetua, donec tres lumbrici majores excernerentur vivi. Longe tolerabilior abhinc dolor, nec adeo constans fuit. Duabus itaque hebdomadibus post idem denuo remedium praescripsi, quod plurimum molestiae creauit, neque aluum soluit, nec vermes exturbauit. Hinc quarto die Ialappae puluis cum Mercurio dulci exhibitus multum pituitae, binosque iterum lumbricos mortuos ejecit. Postea per semestre spatium ab omni molestia vacuus fuit. Neque epistaxi amplius laborauit. Tum vero pristini mali signa denuo expertus ad idem remedium assumendum induci tamen non potuit. Donec aucta dolorum vi, ipse tandem ejus exhibitionem peteret. Praescripsi nunc modo sequenti;

Rec. Cort. Geoffr. Surnin. Unc. II.
Aquae pluv. libr. II.
Coq. ad dimidium. Tum infunde per ½ horam vase clauso
Rad. Rhei el. dr. II.
Colat. adde
Liqu. Anod. Hoffm. dr. I. et sem.
M. d.

Sic

Sic longe melius medicamentum tulit; soluto aliquoties aluo, iterumque duobus lumbricis majoribus cum minoribus aliquot excretis. Ab hoc autem tempore illaesa sanitate jam per tres fere annos ipsi frui contigit.

§. II—X.

(Enarrantur his paragraphis tentamina et observationes Viror. Doctissimor. M. I. de MAN, I. H. RUMPEL, I. VEIRAC, *du*-PUI, I. P. ERMERINS, aliorumque, qui omnes vim cort. Geoffr. anthelminticam diserte comprobarunt, quosque nominasse satis).

§. XI.

Corollaria ex allatis obseruationibus elicita, synopsin virium medicatarum corticis Geoffr. sistentia.

I. Primaria ejus vis est anthelmintica; quod praesertim dictum velim de lumbricis

tere-

teretibus et ascaridibus, ſed non ita intelligendum, ac ſi ad taeniam omni vi careret cortex noſter, nam, praeterquam quod rariſſime ad hanc propinatus fuerit, contrarium luculentiſſime docet Obſeruatio §. 9 relata.

Qua autem vi infeſtus ſit vermibus, jam videamus. Vis euacuans non ſatis magna eſt ad praeſtandam expulſionem; cum hac vi pleraque Purgantia cortici noſtro antecellant. Videtur remedio ineſſe vis vermibus venenata. Saepe enim vermes poſt ejus vſum excreti, mortui ſunt: et quandoque illud experiuntes mox abhorrent, ac protinus deleterium ſibi virus effugiunt; ita vt nonnunquam viſi ſint apud infantes inter ludendum ex ano exiuiſſe, nulla adhucdum catharſi inſecuta.

2. Eſt ejus inſignis facultas, mucum et pituitam incidendi, ſoluendi mouendique. Nec in incidenda ſola primarum viarum pituita ſubſiſtit iſta virtus; ſed vltra has progreditur, vti teſtantur effectus, quos exſerere viſus

eſt

eſt in colluuie pituitoſa et obſtructionibus variis in partibus ſedentibus: vt Aſthmate pituitoſo, Leucophlegmatia; Anaſarca etc — Quandoque tamen hac ſua vi nocet in tenerioribus, inteſtina muco orbando. His in caſibus convenit, ante et ſub ejus vſum Mucilaginoſa et Oleoſa exhibere.

3. Conſideranda venit vis *ſurſum deorſumque* evacuans, quam exercet primo in ſtomachum, undeque anxietates, nauſea, vomitus: deinde in inteſtina, hinc alui egeſtiones plus minus copioſae plerumque excitatae.

4. Notari debet *ſtimulus*, quem ſaepius remedium exſerit in *organa urinaria*. Locum inde meretur inter medicamenta Diuretica et Hydragoga.

Memorandae tandem veniunt vires, *antiſpasmodica*, *expectorandi* et *roborans*; quas an cortex noſter per ſe poſſideat, defectu iteratae experientiae, dubium adhuc eſt.

§. XII.

§. XII.
Doſis et modus exhibendi.

Forma varia Cortex Geoffr. exhibitus eſt. Prima quidem, qua dabatur, forma ſola in Surinamia vſitata, eſt *Decoctum:* et ſane hac forma maxime efficacem ſe praeſtitit, praeſertim ſi lumbricorum expellendorum cauſa ſumebatur. Sequenti modo Decoctum hoc parari et adhiberi homini adulto ſolet, ſi ad vermes expellendos datur. *Corticis Geoffraeae Surnin.* unc. 2 coquuntur cum Aquae commun. unc. 24 ad Colat. unc. 12: Hujus Decocti tertia pars, ſiue unc. 4, per tres inſequentes dies quouis mane propinatur: quarto autem die exhibetur aliquod purgans remedium, niſi aluus ſub vſu Decocti aliquoties mota fuerit. Nonnulli tamen medici minorem dedere doſin, aliaque addiderunt ſaporis gratia, vel alia de cauſa. Purgans, perinde eſt ex quonam remedio paretur. Quin et Purgantis loco Clysma quandoque cum bono ſucceſſu iniectum eſt. Caeterum in delicatioribus et ſenſilioribus

bus

bus, qui ob anxietates, nauſeas, vomitus, ſyſtematis neruei agitationes, ſimiliaque difficulter integram Décocti doſin, ſi ſemel ſimulque aſſumatur, ferunt, apte et efficacitèr Decoctum per epicraſin datum eſt, ſumtis omni hora vel bihorio uno pluribusue cochlearibus.

Decoctum hoc in *Clysmate* etiam adminiſtrauit Cl. VOLTELEN optimo cum ſucceſſu: et haec methodus ſane in ascaridibus eliminandis notari omnino meretur.

Si autem Decocti ſapor aegris displiceat; vel minus volumen requiratur, eundem in ſinem dari poterit *Extractum* ad gr. 15 mane tribus inſequentibus diebus, ſuperaddito Purgante die quarto: tumque in Pilulas vel Bolum formari, vel aqua ſtillatitia quadam ſolui poteſt. Extracti haec forma maxime congrua eſt, vbi remedium in morbis chronicis ad pituitam mouendam propinatur.

Reſina ſaccharo mixta infantibus commodum praebet remedium, ſicubi lenta in pituita in-

incidenda, ventrisque et glandularum infarctus sunt resoluendi a gr. 3 ad 8. Adultis ad scrupulum I usque.

Eodem scopo congrue quoque exhibetur *Tinctura spirituosa.* Paratur haec ex *Cort. Geoffr.* unc. I cum spirit. Vin. unc. 8. Dosis hujus tincturae est a gutt. 50 ad 100, sensim ascendendo, incidendi et deobstruendi potissimum fine.

Quoad modum exhibendi monendum aliquid restat de more, in propinando hoc medicamento ad lumbricos in Surinamia obseruari solito. Attendunt nempe ibi ad lunae phases, nec remedium exhibent, nisi nouilunii aut plenilunii tempore. Medici autem, qui corticem nostrum propinaruunt, uno ore testantur, haec tuto negligi posse, cum, quocunque tempore dederint, nihilo secius lumbrici expulsi fuerint.

§. XIII.

§. XIII.

Combinationes cum aliis medicamentis.

Purgantia lenia addita cum vim Geoffraeae versus aluum dirigant; anxietates, nauseas vomitusque egregie tollunt, simulque vermium expulsionem promouent. Aromata, Carminantia, Antispasmodica motus quoque neruis forte inducendos, pulchre antevertunt. Emollientia stimulum systemati vropoiëtico illatum mulcent. Inprimis memorandae veniunt combinationes, per quas maior vis exsurgit, quam alterutri seorsim inest. Ita vim anthelminticam corticis intensam et efficaciorem addita Radice Valerianae silv. vidit D. VEIRAC. Roborantium vis ab addito Cortice Geoffr. in corporibus laxis pituitosis intenditur. Exstat casus, vbi cort. Geoffr. Scillae et Helleboro nigro junctus, praestitit, quicquid ab optimo deobstruente diuretico exspectari posset, dum praeterea tanquam purgans seorsim operabatur.

§. XIV.

§. XIV.

Differentiae in dosi et agendi modo inter Cortic. Surin. et Iamaicens.

Dosin quidem *corticis Geoffr. Iamaicens.* longe minorem ferunt aegri, quam nostri corticis. *Decocti* enim adultus quatuor tantum cochlearia ferre potest; iuuenis tria; adolescens decem annorum duo, infans vnum tantum. *Syrupi* eadem est dosis. *Extracti* dosis est gr. 3 pro adulto; iuueni gr. 2; decenni adolescenti gr. 1 et dimidii; infanti gr. 1.

In recensione effectuum Corticis Iamaicensis prima differentia a nostri corticis effectibus, quae occurrit, est potens vis Narcotica; haec si a cortice Surinam. obseruetur, leuis saltem est. Qui istos recenset, Doct. Wright, vlterius monet, sedulo cauendum, ne durante operatione remedii aqua frigida potetur, quoniam hoc in casu producat nauseam, vomitum, febrim et delirium; optimumque tum remedium esse, largam aquae tepidae copiam ventriculo ingerere. Effectus hic ex nostro cortice nunquam obseruatus est.

Nec a cortice Surin. obſeruati ſunt effectus cathartici tam vehementes, quam a ſuo cortice expertus eſt D. WRIGHT: refert nempe Pulueris gr. 30 vel 40 aequa vi ac Ialappae Radicem aluum mouere; et ab Extracti gr. 5 robuſtum hominem aegrotare et saepius aluum deponere.

Nunquam noſtrum remedium deleterios produxit effectus, quos *Corticem Iamaicenſem* majori doſi exhibitum quandoque produxiſſe, idem memorat.

Cum venia praeceptoris indulgentiſſimi Viri Cel. MICHAELIS *his ſubiunxi, quae fuerunt in* Clinico Marburgenſi *tentamina et obſeruationes praecipuae, vim anthelminticam remedii noſtri mire comprobantes.*

1. 3tio Nov. 1790 Schmeleri ciuis Marburgenſis filia 2 ¼ annorum in Clinici aegrotis re-

recepta. Nunquam ante ipſa aegrotauit, nec dum variolis aut alio exanthemate laborauit, frequenter tamen diarrhoea fuit adflicta. Dentes ei absque moleſtiis enati ſunt omnes. Capitis tinea, quae fuit parca nullis omnino adhibitis remediis euanuerat, quo facto diarrhoea tandem exorta. Vario temporis interuallo ascarides lumbricoides ſponte exceſſerunt, quorum et hodie vnus ejectus. Aluus expanſa, nec dura nec dolens. Infantis eſt hernia vmbilicalis. Refrigerium mali cauſa non eſt cenſendum. Narium pruritus fere perpetuus. Sputa nulla. Appetitus nullus.

Confect. Sem. Santon. quater de die cochlear min.

Rc. Liqu. a. m. Hoffm. drachm. II, Laud. Liq. Syd. Drachm. ſem. S. bis de die 8 gtt.

Die 11. Nov. Nulli vermes emiſſi ſunt, infans melius habet.

Die 18. Sepoſitis aliis remediis Purgans ex Ialapp. et Merc. dulc. propinabatur

Die 29. Geoffr. Iamaic. decoctum dabatur, cujus die 1. Decembr. quod plus eſt

 vno

vno cochleari respuit infans, at pergitur tamen adhibere idem. Die 15. Dec. leuata est, et sumere decoctum non recusat, nec tamen vel Geoffr. Iamaic. vermes expelluntur.

Dec. 19 duo quotidie cochlearia Decocti ejusdem sumuntur.

Dec. 23. per tres dies vsus decocti neglectus, sed denuo capiendum idem. Die 12. Ian. pergendum.

Die 20. Ian. primo in auxilium vocatur *Geoffr. Surin.*, qua deinceps adhibita die 10. Febr. ingentem copiam ascaridum lumbricoidum infans excreuit. Die 14 quatuor emissi sunt ascarid. lumbr., die 17 iterum plures ejecti.

Die 21. facilior reddita infans, nec tanta jam est obstinacia.

Die 3. Mart. quater de die scrup. Sem. plantag. latif. c. ſſro. Die 10. Mart. quater de die scrup. 1. Sem. plant. latif. et post 4. de die drachm. 1.

Die 29 — *Geoffr. Surin.*

4to Maj. valere coepit, licet nulli amplius expulsi sint vermes.

2do

2do. Nov. 25. 1790 Kuni. Killer Marburgenſis, puella 8 annorum ſemper hactenus ſana, niſi quod capitis tineam (ſine vllo remedio) paſſa eſt. Per proximos dies octo in collo ſiniſtro comparuit vlcus, quod furunculus eſſe videtur. Nil plane ad id fugandum adhibuit, niſi vnguentum ex floribus Samb. et Chamom. Cibos appetit. Lingua non ſordet. Capitis vrget dolor. Eſt haemorrhagia narium. Scrophulis videtur ipſa immunis; Abdomen durum non eſt: Lumbricos ejecit et ascarides. Pupilla dilatata admodum. Narium titillatio. De ventris doloribus conqueritur. Cibi ſaepe indigeſti emittuntur vna cum pituita multa et ſanguine. Calor nimius — Ex vlcere diſſecto puris et ſanguinis multum effluxit. Dabatur aegrotae Dolichos pruriens. Tum Geoffr. Iamaic.

Rec. Geoffr. Iamic. Unc. ſem. coq. c. aquae font. q. ſ. ad remanent. Unc. X. add. ſyr. comm. Unc. II, S. quater de die Cochl. maj.

Die 28. Ulcus ſanum fere. Nondum vermes conſpicui.

Die

Die 29. Rec. Ialapp. gr. XII. Merc. dulc. gr. II.

Die 9. Dec. Nulli vermes ejecti. Uti pergit aegra G. Iamaic. Rec. Geoffr. Iam. Unc. I, coq. c. aquae font. Unc. XVI. ad rem. Unc. X. syr. comm. Unc. I. S. quater de die Cochl. maj.

Die 13. Quinque excreti sunt vermes. Augetur Dosis Geoffr. Iamaic. Quinquies de die cochlear majus sumitur.

Die 19. Sexies quotidie propinatur eadem.

Die 22. Purgabatur Rad. Ialapp. gr. XV, Merc. dulc. gr. III.

Die 6. Ian. Triginta ferme ascarid. lumbr. expulsi; iterato remedio sanitati tandem reddita.

3. Die 12. Ian. 1791. Menzelii infans 6 annor. nauseam queritur. Sapor amarus, Narium titillatio. Pupilla dilatata. Aluus dura, interdum constricta. Per dies aliquot vomitus frequens. Aluum parentes relaxarunt vsu Rad. Rhei, qua adhibita infans et pituitam evomuit. Crura inflexa, frons conuexa.

Rec.

Rec. Tinct. Rhei aquos. conc. Unc. 1 et $\frac{1}{2}$, Sal. mir. Gl. Unc. dim. syr. Unc. I quater de die duo cochlearia min.

Die 17. Ob alui obstipationem Clysma et Tinct. Rhei. Contra vermes jussus est sumere in die 2 cochl. maj. Geoffr. Sur., quo facto vermes emissi sunt plurimi.

Die 31. Pergit eadem vti. Inde die 14 Febr. 16 — 20 vermes excreti; ab vndecim vero diebus nullus ejectus. Datur Oleum Tart. per deliq. ter de die cochl. min ex aqua, et Rec. Quass. Unc. I. coq. c. font. ad rem. unc. XIII., add. Syr. comm. unc. I. quinquies de die cochl. maj., et reconualuit.

4. N. Grötin quinque annos nata, cum signa vermes praedicerent, accepit Geoffr. Sur. duo cochlear. maj. de die; hinc die 13 Ian. 6 Ascarides emissi, item diebus 17, 20, 24 innumeri fere vermes expelluntur.

Die 29 purgans sumitur. 3. Febr. augetur Dosis Geoffr. Sur. et vermes ejiciuntur plures.

Die 23 Febr. loco Geoffr. Sur. propinatur G. Iam.

Die

Die 28 in loc. Geoffr. Iam. ſequitur Sem. Plant. latif. quater in die ſumendum.

Die 21 Mart. pulu. Cort. Anguſt. quinquies de die ſcrup. I.

Die 4. Aprilis poſt vſum iteratum G. Sur. reconualuit.

5. Loſeri filia quinque annorum praeterquam ſana, ſuperatis morbis infantiae, vermibus laborare viſa Decoctum ſumſit Geoffr. Sur. Inde primo duo excreti ascarid. lumbr., purgata tum unum emiſit. Denuo Geoffr. Sur. datur, quae aluum ei ſoluit ter. vel quater in die. Pluries tandem vermibus ejectis ſanata.

6. Loſeri filius $2\frac{1}{2}$ annor, ejusdem, qua filia conditionis accepit Geoffr. Sur. decoctum, cui item aluum bis vel ter in die ſoluit, vermibus emiſſis initio nullis. Purgante ſumto et denuo Geoffr. Sur. hauſta ascarides lumbr. ejecit et reconualuit.

7. Burghardus Reith Marburgenſis 8 annos natus, praeter naturam humilis, capite juſto am-

ampliori, prominenti fronte, abdomine tumido, genibus craſſis, variolas paſſus eſt et paulo ante febrem miliarem. Unum nati annum caſu alterum conquaſſatum eſt crus. Inde ab iſto tempore imbecillitatem queritur, cui ſimilem et ipſius frater ſentit. Per ſex fere menſes ascarides poſt lotium emiſſum per urethram elabuntur, cujus quidem rei teſtis eſt ipſius nutrix. Adhibito ſemine ſant. ſanguinem minxit, an et per anum effluxerit, dici nequit. Pupilla non admodum eſt dilatata. Nullum narium aut ani ſentit pruritum. Pulſus non eſt praeter naturam. Appetitus vigens. Lingua pura, — Poſt vſum Geoffr. Sur. ascarides per anum euehebantur nec vlli amplius per vrethram. Deficiente Geoffr. Sur., poſtea Iamaic. data vermes fugati.

8. Chriſt. Scheit 4 annorum, puella Marburg. ante 2 annos et nuper ascarides excreuit, cum vſa eſſet Sem. Sant. Nares titillantur. Aluus expanſa, dura, conſtricta. Multum bibit. Cibos farinaceos cum maxime appetit. Vrina albescit. Ab aliquo tempore ambulare

 deſiit;

desiit; facile defatigatur. Crura graciliora sunt nec distorta. In articulis nullus tumor. Facile refrigescit. Pupilla angusta, labium superius prominet.

Post vsum Geoffr. Sur. aluum quotidie non semel posuit et bene sese habuit, licet iterato remedio nondum vermes comparuerint. Paulo post faeces bis vel ter de die euectae indolis pituitosae, et quae ante morosa fuit et pertinacissima, jam hilarior euasit. Non omisso Geoffr. vsu et interjectis purgantibus vermis vnus et alter emissus, faeces exuerunt naturam pituitosam, et ventris tumor tandem penitus collapsus.

9. Elisabeth Kuhlen $4\frac{1}{2}$ annorum ante valuit; corpore tamen in dies tenuiori languet, cujus quidem caussam nescit mater. Pedibus vti tamen valet. Aluus tumida, dura. Ascarides lumbricoides 6 hebdomades ante 17. Mart. 1791 excreuit. Narium est pruritus. Lotium albidum. Cutis flaccida. Ophthalmia per mensem integrum laborat. Cum multo in-

infantis leuamine adhibitum eſt decoctum Geoffraeae Sur. et vario tempore modo plures modo pauciores ascarides ejecti.

Theses.

I. *Geoffraea Surinamensis est efficacissimum anthelminticum.*

II. *Affectuum animi usus medicus magnus est.*

III. *In morbis variis plus expectatione quam nimium activa curatione proficitur.*

IV. *Libri practici in usum popularem scripti plus nocent quam prosunt.*

V. *Medici scientia principiis Chirurgiae non imbuti manca est.*

VI. *Et grauidis et puerperis vena secanda est, si sanguis educendus indicetur.*

VII. *Febris puerperarum gastricae indolis est.*

VIII. *Expulsio secundinarum sine metu naturae plerumque relinquenda est.*

IX. *Forceps Leuretiana Smellianae palmam praeripit.*

X. *Nutrix juuenis sit et formosa.*

3.

Georg. Chriſtoph. Wilhelm. Gladbach

Medicinae Doctoris

ſuper

Amputatione

Commentatio.

Marburgi

Literis nov. bibliopol. academ.

1791.

S. R. I. INCLYTAE AC LIBERAE

REIPUBLICAE

FRANCOFURTENSIS AD MOENUM

PROCERIBUS

DOMINIS PERILLUSTRIBUS

P R A E T O R I

C O N S U L I B U S

S C A B I N I S

S Y N D I C I S

E T

S E N A T O R I B U S

PATRIBUS PATRIAE

SUMMIS

STUDIORUM MAECENATIBUS

LABORUM PRIMITIAS

CUM

OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO

IN TESSERAM MENTIS GRATISSIMAE

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA

OFFERT SACRUMQUE VULT

CULTOR DEVOTISSIMUS

AUCTOR.

L. B.

S.

Quod Tibi hic propono, ſpecimen inaugurale, non omnibus quidem numeris Tibi reſpondebit. Bene id quidem ſentio, ſed meliora proferre nunc non valeo. Longa valetudo, cum per ſex fere menſes haemopthyſi per intervalla recrudeſcente laboro, ſtudiis ac libris multum me interdixit, quo minus ſapi-

diora palato Tuo fercula adponere poſſem. —

Accipias igitur, quae absque partium ſtudio proferre volui, aequa ac ſerena fronte, iuvenique primitias Pieridum ſuarum oblaturo, ſi falſa, vaga, mutila inveneris, parcas, nec iuſto acrioribus critices ſlagellis eum petas. Vale.

Sectio I.

Historica quaedam ac critica ſuper amputatione.

§. I.

Nos noſtrarum, ut nunc ſunt, cognitionum ſummam et in chirurgica et medica arte paulo curatius conſiderantes iisque maiorum comparantes, varietas et multitudo in admirationem rapit, felicesque praedicare nos poſſumus, quod id aetatis vivamus, qua remediorum, eorumque quae manu fieri debent, eligendorum optio, ad morbos nobis obvios debellandos compescendosque permittitur; cum contraria ex parte morborum et in - et

externorum remedium reperire requiſitis rite reſpondens, maioribus noſtris difficillimum ac moleſtiſſimum eſſet; licet vero negari non poſſit, hancce varietatem diverſitatemque in deligendis optimis remediis interdum tantam habere difficultatem, quantam habuit maiorum pauperies.

§. II.

Cuius rei exempla in promtu ſunt: liceat mihi vero quaedam ex chirurgica arte in medio ponere. Singulos rei litterariae in Chirurgia aliquantulum peritos, non latebit, quantum ingenii, operae ac ſtudii Chirurgi ex ducentis, et quod excurrit, annis emendandae lithotomiae impenderint, adeo ut felici ſane opus ſit memoria, diverſas methodos harumque inventores, iuſtas manuum ad-

plicationes et quae poſtea contigerunt mutationes recenſere. — Quam multis vero Chirurgi ad tempora usque IOANNIS *de* ROMANIS et MARIANI SANCTI BAROLITANI inſtrumentis ad hanc patrandam operationem neceſſariis deſtituebantur! Quam cauti ac timidi eam tentarunt! Nec cuique aegro, omni aetate ac quovis tempore diriſſimis hisce doloribus operatione benefica liberari contigit eſſe tam felici *a*), quin non ſinguli

---

a) AUR. CORNEL. CELSI de Medicina Lib. VII. Cap. XXVI. " Ad calculi curationem feſtinare, cum praeceps ſit, " nullo modo convenit. Ac neque omni " tempore, neque in omni aetate, neque " omni vitio id experiendum eſt: ſed " ſolo vere, in eo corpore, quod iam " novem annos nondum quatuordecim " exceſſit, et, ſi tantum mali ſubeſt, " ut neque medicamentis vinci poſſit,

Chirurgi iſtam adgredi operationem auſi ſunt, ſed qui ſusceperunt, ceteris ſtudiis omiſſis huic tantum operam locarunt ſedulam, ſique HIPPOCRATIS iusrurandum eſt genuinum, iis ſolummodo licitum erat. *a*)

§. III.

Simplex ac cancellis nimis arctioribus inſcriptum, quod ad noſtrum usque ſeculum

---

" neque etiam trahi poſſe videatur, quo
" minus interpoſito aliquo ſpatio interimat. Non quo non interdum etiam
" temeraria medicina proficiat; ſed quo
" ſaepius utique in hoc fallat, in quo
" plura et genera et tempora periculi
" ſunt."

a) Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας, ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσιν πρήξιος τῆσδε.

Chirurgi ad cataractam sanandam ferebant auxilium. Praeter depressionem, quae simplicissimo modo ac paucissimis mutationibus fiebat, nil praeterea ab ipsis fieri potuit. Vix vero Francogallorum Chirurgus DAVIEL cataractam extrahendi ideam vulgaverat, suamque medendi methodum cum erudito orbe communicaverat, cum ubivis gentium emendatior mutataque forma prodiret. Recentissimis praesertim temporibus meritissimorum cuiuscumque nationis opera Chirurgorum, praeprimis Germanorum, haec operatio ad tantum perfectionis gradum pervenit, ut nil profecto nunc addi posse videatur.

§. IIII.

Terrorem incutit maximum operatio, aegrum membris, vel ad corpus sustentan-

dum vel ad tolerandam vitam pernecessariis crudelissime privans. Nullo in casu humano generi benefica ac salutaris Chirurgia terribilior acerbiorque quam hac operatione instituenda videtur; nullo quoque intrepidus et audax Chirurgorum animus clariore adparet luce nulloque aeger sese Chirurgorum manibus tradens magis dolendus. — Beneficiorum, in humanum genus cumulatissime conlatorum gaudia ad Chirurgos redundant, ingenii aciem qui exacuerunt, ut casus, in quibus haec operatio necessaria, rariores redderent, fines accuratius constituerent, sique eam instituere casu contingeret, aegro discrimine ac doloribus quam fieri potest, minimis, adhiberent.

§. V.

Non sine maximo aegrotantis periculo antiquitus ista operatio perfici potuit, hinc

rariſſime ac non niſi ſumma neceſſitate urgente in uſum vocabatur, quin quidam ita deteſtabantur, ut eam plane non adhibere conarentur. In cauſa praecipue ſubitanea ex arteriis ſanguinis profuſio, et ſi reputaveris, quam parum temporis opus ſit, ſanguine ex diſſecta arteria crurali vel brachiali profuſo mori; quam pauciſſimos quoque aegros, hanc periculi discriminisque plenam operationem perpeſſos, mortis faucibus eſſe ereptos, facile perſpici poteſt. *a*) — Facta operatione, ſanguinis amiſſioni antiqui parum quoque conſuluerunt. Deligationis adparatus ſimpliciſſimus; iis nimirum locis, cute non conte-

---

a) CELS. Lib. VII. Cap. XXXIII. Saepe in ipſa opera vel profuſione ſanguinis vel animae defectione moriuntur.

gendis, linamenta ac aceto expreſſae ſpongiae imponebantur *a*), quod antiqua aetate praecipuis ſanguinem ſiſtentibus remediis adnumerabatur. *b*) Summa cura ac diligentia caverunt, ne quid ex aegris partibus relinqueretur, verentes, ne hae integras corriperent inficerentque, hinc, ſi aliter fieri non potuit, ex parte potius ſanā exciderunt *c*), quum e contrario aevo antiquo, torcularibus

---

a) Cels. l. c. Quo cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegendum, et ſupra id ſpongia ex aceto deliganda.

b) Ibid. Lib. V. Cap. I.

c) Ib. Lib. VII. Cap. XXXIII. Inter ſanam vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro usque ad os eſt ſic, ut neque contra ipſum articulum id fiat et potius ex ſana parte aliquid excidatur quam ex aegra relinquatur.

nondum repertis, emortuae inciderentur partes, ſanaeque proxime adhaerens medicamentis removeretur.

§. VI.

Multiplicium ac variorum agmen malorum, quo inſufficiens hic ac non ſatis tutus curandi modus ſtipatus neceſſario inceſſit, illos qui manu medebantur eo perduxit, ut remedia, ad ſanguinis profuſionem lethalem compeſcendam, acriora magisque idonea excogitarent et invenirent. Nondum res eo venerat, ut impediretur, quo minus inter operationem externa compreſſione, qua arteriae canalis prorſus clauditur ac continuo adfluenti ſanguinis flumini ex diſſectis arteriis manare reſiſtitur, ſanguinis profuſio copioſior, quam par eſt, ſequeretur; eo negli-

gentiae procedebant, ut mitiora a GALENO iam laudata remedia mechanica, quibus redundans ex dissectis vasis sanguinis flumen praecavebatur, posthaberent ac vilipenderent: maiore quidem vi haemorrhagiae occurrebant, quam antea, sed remediis (horresco referens!) crudelissimis, dirissimis, atrocissimis! Candentibus ferramentis, oleo fervido vel sulphure, liquefacto plumbo, aqua exaestuante, arsenico vel sublimati solutionibus; casibus lenissimis, alumine aut vitriolo ad cavendam sanguinis profusionem utebantur, quin scalpello candenti membrum praecidebatur, id supra quam cuique credibile sit.

§. VII.

Stupore et admiratione perculsi legimus, seculo demum decimo sexto BARTHOLO-

MAEUM

MAEUM MAGGIUM et LEONHARDUM BOTALLUM eo perveniſſe, ut inter operandum ſanguinem lenioribus, quam candens ferramentum fuit, remediis ſubprimerent: admirationem movet ſane maximam, qui fieri potuerit, ut ante horum Virorum aetatem ne ulli quidem in mentem venerit, membrum inter operationem adligare, cum tamen ſimpliciſſima experientia omnes de huius ſimplicis remedii effectu convincere oporteret. Neminem quoque ante AMBROSII PARAEI memoriam de renovanda ſubligationis arteriarum methodo cogitaſſe, vix mente comprehendi poteſt, cum tamen ab totius membri adligatione ad ſubligationem arteriarum gradatim facile progredi potuiſſent. — Profecto in ſummam rapimur admirationem indignationemve, cum legimus, hoc humani generis dulce decus praeſidiumque, hunc Chi-

rurgiae parentem, quod venas ſubligare docuerat, atrociſſimas collegarum odio eius flagrantium perſecutiones eſſe perpeſſum.

§. VIII.

Ex hactenus dictis adtenta mente penſitatis, prono veluti fluit alveo, omnia, quae ab Chiriatris quoad hanc operationem ad aetatem usque AMBROSII PARAEI emendata correctaque cenſebantur, plane non correctiones ſed ſummo cum iure depravationes dici debere. Aegros, facta operatione non adeo timuiſſe, ne ſanguine effuſo moriantur quam antiquiſſimis temporibus, cum ſimpliciſſimo modo fieret, verum quidem eſt; ſed ab altera parte veſanam diramque procedendi methodnm, partes recens diſſectas candenti-

bus tractare materiis, consideres, ac quales hanc methodum necessario excipiebant noxae, v. g. inflammatio ingens, febres, gangraena, spasmi ac convulsiones, hisce omnibus rite perpensis decidas, num haec correcta dici queant, annon potius res in peius cesserit? Bartholomaeus Maggius, licet multa correxerit, tamen hanc praeiudicatam fovit opinionem, quippe qui finita operatione aut cauterio actuali utebatur, aut oleo aut aquae ferventi truncum immergebat.

§. VIIII.

Verum ex ista operatione, qua initio nihil lenius, nihil simplicius, tandem longe crudelissima facta est. Ab hoc, ad nostrum quod nunc vivimus aevum, Chirurgorum

prudentissimus quisque id dabant operae, ut eam per se iam maximis doloribus coniunctam, quam lenissimam ac simplicissimam redderent. Nos id, uti supra iam innui, AMBROSIO PARAEO acceptum referre, cuius magni Viri exemplum sequebantur quam plurimi, extra omnis dubitationis aleam positum est. Cum tandem circa annum millesimum sexcentesimum septuagesimum quartum teste DIONIS a Chirurgo castrensi MOREL torcular esset repertum, maximis itaque impedimentis remotis, exiguo quoque aegri periculo operatio adhiberi potuit, cuius vero usus postea cessit in abusum.

Recentiori aevo praeprimis Francogalli, quorum operandi ingenium solers audaxque sat cognitum est, de hac operatione belle meriti sunt, nec operationi soli sed maxime

ſanationi futurae providentes. Cuius rei Annales Academiae Chirurgiae, eorumque ſcripta argumento ſunt perſpicuo. Nec non Anglorum Chirurgi et Germanorum hac in arte celeberrimi Viri laudes poſt fata adhuc immortales ſibi pepererunt. — Ut tantum carnis cutisque, quantum ſatis eſſet os plane contegere, ad accelerandam ſanationem, parceretur, curabant.

§. X.

Nil profecto finita operatione incommodius, ac oſſis denudatio carne. Etenim ex muſculorum fabrica et effectu nec non experientia magiſtra ſcimus, inciſos muſculos breviores fieri, verſus extremitates retrahi, inde fit, ſi retractioni obex non ponatur, ut vul-

nus latiſſime pateat. Idem in amputatione accidit; inciſi nimirum muſculi verſus punctum fixum retrahuntur, hinc os nudatur ac pro planitie vulneris ſanationi favente, ad coni ſimilitudinem vulnus fit, tantumque igitur abeſt, ut ſanatio proſpere ſuccedat, quin potius os aëris ac impoſitorúm remediorum effectibus expoſitum, paulatim emoriatur, eique adhaerentes fibrae muſculares ab eo ſeparentur, haudque raro ſecunda vice operatio aegrotanti dolens ac Chirurgo iniucunda inſtituatur neceſſe ſit. —

Id quam ſaepiſſime in membris robore praepollentibus fit, brachio ſuperiori ac femore, ubi magnam muſculorum copiam nullis fibris oſſi firmatam, laxa celluloſa interiacet, unde fit, ut libero ſuo arbitrio permiſſi retrahantur, alii plus alii minus, prout aut

plane liberi, aut maiore aut minore fibrarum copia offi firmati fint *a*).

§. XI.

Iam PARAEUS, offis prominentiam praecauturus, malisque hinc proficiscentibus occurfurus ac vulneris amputando facti fanationem adceleraturus, remedio ufus eft, quod recentiore aetate Cel. SHARP adhibuit. Cutem nimirum in crucis formam transfixam, robuftis filis fuper truncum conftrinxit; fed iftud remedium non fufficere nihilque valere eventus docuit; multum enim abfuit, ut fa-

a) LOUIS in Memoires de l' Academie royale de Chirurgie, Tom. II. p. 268.

nationem adcceleraret quin potius retardaret; valida enim irritatione a filis vi conſtrictis producta, membrum inflammatio ingens dolorque occupabant, itaque fila diſſecare ac vulneris curationem pro more conſueto gerere cogebantur.

§. XII.

Anno MDCLXXXXVI PETRUS ADRIANUS VERDUYN Batavus novam membra praecidendi methodum deſcripſit, quam noſtrates vulgo operationem *a* LAMBEAU dicunt. Iam longum et a ſcopo alienum eſt fuſius de hac operatione dicere, num VERDUYN, LOWHDAM vel SABOURIN eam invenerint, quomodo a Chirurgis poſtea correcta et quibus in caſibus ab aetate ortus ad noſtram usque adhibita

ſit. Plura ſi noſſe cupis, adeas Annales Academiae ſcientiarum, Academiae Chirurgiae Pariſienſis, ſcriptaque YOUNGII, KOERNERDINGEN, RUYSCHII, GARENGEOT, *le* DRAN, *de la* IAYE, RAUNTON, VERMELE, LOUIS, HEISTERI et PLATNERI. —

Commoda, quae ex hac operandi methodo ad nos redundare videbantur, profecto magni fuerunt momenti; hac ſanguinem ſine ſubligatione ſubprimi, oſſi torum praeberi vulneriſque ſanationem celerrime progredi, putabatur. Sane commoda haud vilipendenda, quae iſtum operandi modum valdopere commendarent, ſi praedictioni ſemper eventus reſpondiſſet, vel, ſi modo haec commoda non ſecuta nil ingrati excepiſſet, ſed contrarium evenit. Quamvis enim ope-

ratio iſta interdum in aegrotantis ſalutem proſpere ceſſerat, tamen ſunt caſus, quibus male proceſſit, magnusque effluxus ſecutus, lacinia non adſtricta, aegerque ſecunda vice operationem ſuſtinere laciniamque ſibi praecidere coactus eſt, vulnus igitur ex more ſolito ſanari debuit. Haec in cauſa ſunt, cur hodienum haec operandi methodus in deſuetudinem abiit, exceptis tamen rarioribus caſibus, amputationis videlicet ex articulo, quod nulla plane alia ratione articulus contegi poteſt, in caeteris vero leniora ac meliora in promtu ſunt remedia.

§. XIII.

Inſufficientia ac inutilitate huius operandi modi Chirurgi commoti et impulſi

ſimpliciora lenioraque, quibus idem obtinetur finis, remedia repererunt atque excogitarunt. Angli, *Magnum* CHESELDEN, Francogalli, *Cel.* PETIT in cogitationes incidiſſe tantum cutis parcere, quantum ſufficiat oſſis trunco contegendo, memoriae prodiderunt. Non eſt, quod in hac ſub nomine generali *Operation a deux tems*, notiſſima ratione longior verboſiorque ſim, cum uberiorem huius explicationem quisque de chirurgicis operationibus agens libellus praecipiat. —

Aliquid tamen mihi proferre liceat. Sunt, ſi aequales illorum temporum, quid utile, pulcrum, praeſtansque invenerint, qui ab ipſis inventa non eſſe dicant ſed potius ab temporibus quaſi Aboriginum repetant. HARVEY poſt-fata adhuc immortalis, qui nos ſangui-

nis circulum primus docuit, ob hoc pulcrum, eximium ac humano generi utile inventum invidiam aequalium ſibi conflavit maximam. Ipſiſſima ſacri codicis loca tam diu verſabantur, quoad alluſionem ad ſanguinis circulationem inventam eſſe, opinabantur. 'Idem fere, cum operatio *a deux tems* innoteſceret, factum eſt. Iam e CELSO ex prava loci interpretatione eiusmodi veſtigia erui poſſe credebant, quam ipſe SHARP coniecturam firmam amplectitur, cum tamen adtenta huius loci lectio doceat, quam CELSUS deſcripſit operandi rationem, plane non eſſe eamdem, ſed longe aliam, quam CHESELDEN aut PETIT praeceperunt.

§. XIII.

Revera hac inventione propius ad finem, quem praefiximus, pervenimus, nec eſt,

quod miremur, eam ab omnibus Chirurgis eſſe receptam ac hucusque tanquam fundamentum omnium nunc uſitatarum operandi methodorum conſiderari adhiberique. — Licet vero quam curatiſſime ac providentiſſime operatio perficeretur, tamen accidit, ut aliquot poſt diebus oſſis truncus emineret inprimis in maioribus artubus, femore ac brachio ſuperiori *a*). Ratio cauſaque ex iis, quae §. X. poſui, divinari facile poteſt. Huc adcedit, cutem ſolam nullis adiuvantibus muſculis, torum parum commodum oſſis trunco praecipue inferiorum artuum eſſe praebituram. Cum cauſa igitur eſſet comperta, in reperiundo remedio, cuius ope os profunda in

a) A. Bertrand Abhandlung von den chirurgiſchen Operationen, p. 445.

carne ferrula praecidi potuit, ut ex carne cuteque ei torus commodus paretur, totius rei caput vertebatur, quod Cel. LOUIS, cuius principia iſtius operationis omnes fere quin ALANSON ipſe imitati ſunt, invenit.

§. XV.

Offi adhaerentes muſculares fibrae, uti ex §. X. liquet, cum retrahi non poſſint, in eo res vertitur, ut tam alte, quam fieri poſſit circa os ſubſecentur. Nullo id efficitur negotio, ſi ſplenio ad dimidiam usque ſui partem fiſſo, offi non adglutinati muſculi quam maxima vi furſum trahuntur. Quo modo pyramis formatur, cuius *apex offi verſus inferiorem articulum*, ac baſis margini cutis ſectae finitima. Ex abſciſſo pyramidis

apice *repetitis obliquis ſurſum directis inciſionibus, ad coni ſimilitudinem cavum vulnus fit, cuius apex ſurſum ad ſuperiorem ſpectat articulum.* Quae ſi ita facta ſunt, os ad trium digitorum transverſorum latitudinem, quin altius ſerrula praecidi poteſt, quaſi ex conſueta operandi ratione egiſſes, id quod experimentis ſuper hac re inſtitutis evidenter vidimus *a*).

§. XVI.

Adtento animo nobis a CELSO deſcriptam amputationem lecturis *b*) ac methodo a

a) Super hac paragrapho praecipue legantur, quae LOUIS et BERTRAND ll. cc. praeceperunt.

b) CELSUS Lib. VII. Cap. XXXIII. " Inter ſanam vitiatamque partem inci-

Louis *a)* expoſita comparaturis illucescet, hunc Cel. Chirurgum Celsi regulas renovaſſe ac quae minus clare prolata uberius explicuiſſe, itaque nec Petiti, nec Cheselden, nec Verduyn operandi methodos hic intelligi debere. Equidem non credo, linguae criticos ac rei peritos

" denda ſcalpello caro usque ad os eſt
" ſic, ut neque contra ipſum articulum
" id fiat, et potius ex ſana parte ali-
" quid excidatur, quam ex aegra relin-
" quatur. Ubi ad os ventum eſt, re-
" ducenda ab eo ſana caro et circa os
" ſubſecanda eſt, ut ea quoque parte
" aliquid oſſis nudetur: dein id ferrula
" praecidendum eſt, quam proxime ſa-
" nae etiam inhaerenti. "

a) Memoires de l' Academie royale de Chirurgie, l. c.

ritos momenti dubia prolaturos, cum iam ipsa huius loci CELSIANI vexati literalis explicatio nullam nunc notam methodum, nisi a Cel. LOUIS in Annalibus Academiae Chirurgiae Parisiensis expositam admittat. Si quoque in litibus auctoritatibus sua non desit fides honosque, fidenti sane animo, celebri et hac in re versatissimo AMBROSIO BERTRAND niti mihi liceat, ex cuius verbis, rem sibi esse plane perspectam cognitamque, meridiana luce clarius liquet *a*).

§. XVII.

Fallorne, a CELSO expositam ac a LOUIS renovatam operandi methodum,

a) l. c.

fundamentum recentiori aevo admodum laudatae atque ab omnibus Europae regionibus receptae methodi ALANSON existimans? LOUIS ac ALANSON id egerunt, ut amputato offis trunco commodum, crassum et ex cute et musculis confectum pararent torum. Finis itaque ac partium conditio finita operatione eadem sunt, perficiendi modus tantum diversus, ac si meritissimorum Virorum sententiis qui ALANSON methodum examinarunt ac perfectionis difficultatem monstrarunt, quae ego sentio, adiicere mihi liceat, ea, quam LOUIS tradidit, methodo, facilius tutiusve finem intentum obtineri, quam ab ALANSON explanata, mihi videtur.

ALANSON primum cutem circa membrum, scalpello ad perpendiculum directo,

musculos autem acie *oblique et sursum versus os* directa, incidit. *Ad coni similitudinem* vulnus hinc fiat necesse est, *cuius apex sursum versus superiorem articulum* ad os spectat, basis vero inciso cute continetur, os itaque profunde in carne occultatur.

Experientia teste edocemur, finem exoptatum ita obtineri, sed quoque eorum, quae in hac operatione manu fieri debent, tantam esse difficultatem, ut non nisi longo praegresso exercitio habitus comparetur, quorum addiscendorum occasione plurimi destituuntur. Quare vero tot tantisque difficultatibus implicita operandi ratio eligenda? Annon, quam Louis adhibuit, methodus multo facilior eadem praestat, cum hac os ad duorum vel trium pollicum latitudinem, quin si requiratur, altius praecidi possit, quam quo loco

operatio coepta est, incisique musculi eumdem fingant conum, quem ALANSON methodus format?

Quas ego contra methodum ALANSON modo in medio posui obiectiones, temere contradicendi vano pruritu a me esse prolatas, ne putes; experientia ac experimenta super hac re instituta, quibus et mea adnumerare queo, quae ego quidem sentio, palam profiteri occasionem ac quasi ansam dederunt, licet explorari, probari ac peritorum Chirurgorum subactiori iudicio disquirenda subiicii debere existimem.

§. XVIII.

Caeteras operandi methodos, praecedentibus maximam partem nixas, ne longior fiam,

de induſtria taceo. Quam ob rem diverſas quoque variasque faſcias ac deligandi modos, ad oſſis prominentiam avertendam cavendamque a diverſis Chirurgis commendatos, non adtingo, perſuaſus, deligationem minimum, ut muſculorum effectui reſiſtatur, conferre, id quod experientia quotidie docet, cum in oſſium fractura, apto idoneoque ſitu, *quo omnes muſculi remiſſi* ſunt, neglecto, qualiscumque ſit deligationis adparatus parum proficiat. In membri enim, quod manum poſtulaverat, deligatione ſoluta nil auxilii, in adſtrictiore, plus damni quam fructus eſt, itaque omnia et inter operationem et hac finita in ſitu, quo membrum ſervatur, in quo omnes muſculi aequaliter, quoad eius quidem fieri poſſit, relaxantur, poſita ſunt. Non ſatis paradoxum cuiusdam Francogallorum Chirurgi theorema admirari poſſum, ſtatuentis quid omnibus the-

orematibus ac experientiae e diametro oppofitum, omnes nimirum mufculos *fumme intenfos* effe fecandos. Scire fane geftirem, ut operationis difficultatem taceam, quomodo mufculorum fines quoad effectum inter operationem conftituere, quid porro cum mufculis diverfos motus involventibus ac faepe faepius alios interiacentibus agere vellet? Sit fatis dictum de hac operandi methodo.

SECTIO II.

De ſanatione per reunionem vulneris ex amputatione.

§. I.

Procul dubio eſt, operam Chirurgorum recentioris aetatis, praeprimis Anglorum, vulnus ex amputatione per reuniorem ſanare, ſuppuratione diuturna non exſpectata, utilem, maxime laudandam ae praecepta tradita grata mente eſſe adcipienda. Hac ratione non modo prius ad ſcopum pervenimus, nec praegreſſis morbis, ſanguinis iactura debilitati proſtratique aegri vires reſiduae ita deiiciuntur, ac in vulneris curatione praegreſſa ſuppuratione, verum quoque, id quod in inferiorioribus extremitatibus inprimis magni eſt commodi, cicatrix minor, firmior, nec metus eſt,

ne compreſſione adhibiti arte trunci vulnus recrudeſcat. *a*)

§. II.

Omne morborum agmen amputationis neceſſitatem exigentium apte duas in claſſes diſtin-

---

a) Ex iis, quorum ſectione I. mentionem innui, vidimus, Chirurgos a Paraei aetate ad noſtram usque adlaboraſſe, ut diverſis remediis ex amputatione vulnus celeriter ad ſanationem perducerent; verum ſine ſuppuratione numquam factum eſt. Noſtri temporis Chirurgis renovatam veterem methodum vulneris nempe per reunionem ſanandi, debemus. Celsus nominatim praecipit, vulnus ita ſanare, ne pus moveatur. Haec eius verba l. c. " Caetera (curatio nimirum, facta prima " deligatione) poſtea ſic facienda, ut in " vulneribus, in quibus pus non moveri " debet, praeceptum eſt." Cf. Lib, V. Cap. XXV. nr. 23. et 27.

gui poteſt. Prior eos comprehendit, qui vel momento citius, vel tamen breviſſimo tempore membri ſtructuram ita deſtruunt, ut reſtitui plane non poſſit, eius praeciſio itaque ab reliquo corpore unicum ſervandi hominis remedium fiat. Cuius generis nervorum praecipuorum ac eius membri vaſorum exſtinctio, extenſa vel preſſa arteria circulatio impedita, ingens oſſium contuſio praecipue articulorum, nec non vehemens nonnihil mollium partium deſtructio, ac hinc natales ducens ſphácelus.

§. III.

Poſteriori claſſi, ſive chronicis morbis, paulatim ſubſequens animantium ac nutrientium membri partium mors, lente ſine axterna praegreſſa cauſa violenta membri vis vitalis

exoriens deminutio, ut brevi praecidam, gangraena ficca five necrofis, porro ex fupra recenfitis cafibus acutis interdum ortum habens diuturnà fuppuratio cum finubus in ac circa articulum, caufis internis vel nonnunquam externis ortae articulorum fuppurationes, offium corrofiones ac tumores apte adcenferi poffunt.

Hae fere generales caufae funt, quae, licet non femper ac omnes pariter fummo gradu, amputationis neceffitatem poftulant. Mihi fufficit, in omnibus his cafibus adhibitam et nunc faepiffime effe neceffario adhibendam.

§. IIII.

In prioris claffis caufis quin nihil magis fit optandum, quam ut finita operatione vulnus

tempore, quo fieri possit, brevissimo ad sanitatem perducatur, nullus dubito, cum nullae caussae alia indicantes ac suadentes, adsint. Curatio quoque voto fere respondebit, si Medicus rite regulas observat nec in laesa parte sint, quae, quo minus fiat, obstent, et denique aegrorum sanitatis bona rectaque sit conditio.

§. V.

Posterioris classis caussarum alia est conditio. Naturam praeternaturalium saniei effluviorum obstructionem per aliquod temporis durantium ac quibus, ut ita dicam, adsuevit, numquam impune ferre, inter omnes constat; quamvis enim corpus ad tempus sanum fore ac nil detrimenti ab interrupto effluxu capere videatur, serius ocius tamen morbi inde natales

ducunt vitae ingens periculum minitantes, vel quibus, licet ſint chronici, praeternaturali effluvii incommoda comparari nequeunt. Quis enim eſt, cui non compertum ſit, nimis celerius ac intempeſtive ſanando clauſos fonticulos, vetuſta exſiccata ulcera, apoplexias, catarrhum ſuffocativum, ſurditatem, coecitatem, debilitates, epilepſias, diuturnos dolores ac phthiſes produxiſſe et modo reſtituta conſueta praeternaturalia effluvia ſubſequentium morborum ſanationem effeciſſe. Medici ac Chirurgi rationales ſumma cura caſibus eiusmodi caveant, ne talem effluxum ſubito inhibeant, ſed, ſi nulla manifeſta interna cauſa alatur, ſenſim ſenſimque minuant ſimulque evacuandi vim *naturaliter ſecernentis organi* impellant, vel ſi effluxus internae cauſae ſunt, eas prius removeant, quam *localem praeternaturalem* ſtatum *externis* remediis meliorem reddant. Seu damnum ab

iusto celerius praeternaturalibus saniei effluviis inhibitis illatum ex acrimoniis evacuandis corpori vero inhaerentibus aliasque partes corripientibus deducas, seu tale effluvium ac corpori nunc *praeternaturalis organi* necessariam excretionem consideres, qua interrupta, huic organo succorum destinatorum collectio, humorum multitudo eorumque ad alia organa migratio exoriuntur; qualemcumque denique tuearis theoriam, quae supra memoravi, experientia tamen sat confirmavit.

§. VI.

Annon posterioris classis causae ac modo memorati casus inter se comparari possint? Mihi quidem videtur. Effluxus nonnumquam quam validissimus, humorum multitudo adducenda,

oeconomia animalis ita comparata eſt, ac temporis ſpatio in diſtribuendis humoribus ac ſolidarum partium actione tot tantaeque ſeſe invicem exceperunt mutationes, ut talem violentam operationem, ad localem effluvii cauſam removendam, quam ſaepiſſime ancipitia ac periculoſa ſequantur mala: non enim eodem tempore, quo organum removetur, et naturae advehendorum humorum adparatus tolluntur, verum continuant, iique huic praeternaturali excretioni deſtinati humores aliis colatoriis tamdiu evacuandi, quoad omnes ſecretioni dicatae vires priſtinum ſanum ſtatum recuperaverint, isque adhuc feliciſſimus caſus. Contraria vero ex parte conſiderandum eſt, morbos longos, inquietudines tot, adfectos ingratos his arctiſſime conjunctos, *in ſecernentibus organis ac reliquis viſceribus debilitatem* produxiſſe, collectis igitur humoribus rite obviam procedi

non posse, eos per metastasin infirma intestina ac organa occupare, ibique tanquam aliena destructiones parare. De noxis, ex interna acrimonia morbum fovente, ortis, quod a scopo alienum, nil dicam. Procul absit, quin, quae portuli, firma atque inconcussa esse existimem; quum vero in duabus amputationibus, ob longas ossium corrosiones ac saniei effluvia necessariis, infausta adversaque, in altera phthisin hepaticam, in altera phthisin pulmonalem, quibus aegri antea non obnoxii fuerunt sed aliquot hebdomadibus post facta operatione natas vidissem, nec ulla alia causa, nisi vulneris sanando clausi adceleratione originem habuisse fuissem certissimus; suasor sum, ne in eiusmodi casibus vulnus ex amputatione tam subito clauderetur sed *hic potius vetus suppurationis ope vulneris sanandi methodus in auxilium vocaretur.*

§. VII.

Tantum de hac graviſſima materia proferre volui ac potui. Sparſa quidem, vaga, ac fugitivo pede ſcripta ſunt, omni tamen forſan non deſtituta pretio. Maturius ſubactiusve ingenium quae vel ignoravi vel omiſi, facile mente addere, quae brevius, quam par eſt dixi, uberius explicare, quae minus recte prolata, emendare ac corrigere poterit. Primitias itaque ſtudiorum ut benigne excipere, quae peccavi corrigere et alto ſupercilio ſuſpicere nec iuſto acrius reprehendere velitis, obnixe rogo petoque.

TANTUM.

hi.

Dr. Conr. Dav. Nebel

Commentatio
in
Hippocratis doctrinam ſemioticam
de
Spasmis atque Convulſionibus.

Marburgi Cattorum

Literis nova typograph. academ.

1791.

VIRO PERILLUSTRI

ERNESTO GODOFREDO BALDINGER,

SERENISS. LANDGRAV. HASS. CONSIL. INTIM. ARCHIATR. ET FACULT MED. MARBURGENS. PROF. PRIM. SOCIET. HASSIAC. ANTIQ. NEC NON OECON. ATQUE AGRICULT. SODAL.

PATRONO MAXIMO

QVI PATRIO ME AMPLEXUS EST AMORE

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
GRATI ANIMI ET PIETATIS TESTEM
CUM
ARDENTISSIMIS FELICITATIS OMNIGENAE
VOTIS
SUMMA ANIMI PIETATE
offert
ET SE SUA STUDIA FORTUNAMQUE SUAM
COMMENDAT.

obſequioſiſſimus Cultor

C. D. Nebel.

PRAEFATIO.

Spasmorum atque conuulſionum cohors, ab omni aetate retro ad noſtra usque tempora medicorum ingenia exercuit. In libro antiquisſimo, fortaſſis ante HIPPOCRATEM iamiam ſcripto, et ab alio auctore incerto, cui titulus: *de morbo ſacro*, non ſine inſigni voluptate legimus, tunc opinionem illam iamiam ex-

plo-

plosam fuisse, spasmos atque convulsiones Daemonibus atque maleuolis Spiritibus deberi, quorum Aegyptii plus quam triginta millia et duo excogitarunt. Satis bene vero decus medicorum insigne, RICHARD MEAD, in pereximio libello, *de morbis biblicis*, omnes, quos Daemoniacos credidit olim Theologorum, ICtorum, Medicorom ingens multitudo, iis aegrotis adnumerauit, qui vera *Epilepsia*, aut *Mania* laborant. Verum vt fatear, in vniuersa Semiotica, ne vnicum quidem cer-

tum

tum ſignum occurrit, quod probaret, hominem a Daemonum imperio conuulſionibus diriſſimis vexari, et ab eadem cauſſa abſurda loqui: Daemonomania enim nihil aliud eſt, quam mixtum morbi genus, ex miris quidem conuulſionibus et perverſa imaginatione, aut delirii ſpecie compoſitum. Quare abſonum eſt, cauſſas ſupernaturales accuſare, cum naturales ſufficiant, ad quaeuis phaenomena explicanda.

Quum ſpasmi atque conuulſiones princeps ſignum ſint in omnibus

bus atque ſingulis morbis, quibus praecedunt, vel quos comitari ſolent, non inutilem fore laborem meum, credidi, ſi omnia et ſingula loca colligerem, quae in HIPPOCRATIS monimentis ſparſim annotata leguntur, eaque ſyſtematice diſponerem, et ſingula loca commentariolo illuſtrarem.

Libellus meus docebit, HIPPOCRATIS doctrinam, quam de ſpasmis et conuulſionibus, ſigno in morbis, tradidit, eſſe non ſolum *veriſſimam*, ſed adeo perpolitam ſimul,

mul, vt neutiquam *manca* ſit, ſed omnibus numeris abſolutam. Quare medicis recentiorum temporum nil reliquit, praeter Spicilegia quaedam, ſuis effatis atque vaticiniis adiicienda. Vt vero rite diſpertiar, quae in libris HIPPOCRATIS diverſis ſparſim annotata leguntur ab Oraculo illo medicorum, ſequens erit ordo tradendorum, vt praemiſſis nonnullis generalioribus ſuper ſpasmorum atque conuulſionum diſcrimine, ſeorſim ea ſigna exhibeam, quae docent imminere ſpasmum, et

quae

quae a ſpasmo ratione indolis nullo modo differt, conuulſionum, deinceps Auguria HIPPOCRATIS percenſebo, quae Fatum hominis definiunt, qui ſpasmis et conuulſionibus miſere decumbit.

ORDO

ORDO.

Caput I.

De ſpasmis et conuulſionibus, horum indole, diſcrimine, et cognatione inprimis arctiori.

§. 1.

Notio.

Spasmus, vocabulum graecum eſt, quod a σπάω, traho, deriuatur. Eſt vero morbus, qui

qui musculos afficere solet, consensus lege denique reliquas partes totius corporis, tum hominis, tum bruti animalis, omnes, ossa, neruos, vasa. Immo vasorum spasmi, aliarumque partium, v. c. vesicae, intestinorum tractus, potissimum debentur fibris muscularibus illarum partium, excessus atque defectus, quem animaduertimus in oeconomiae animalis functionibus laesis, constituit veram morbi notionem, monente iamiam GALENO, et docente re ipsa. Tertium enim, vt loquar cum Philosophis recentiorum temporum, non datur.

Iam vero musculus omnis, in toto corpore, dum agit, sese accurtat, contrahit, breuior fit, et hoc quidem valet etiam de minimis musculis, quos acies oculi non attingit, neque armati. Vera itaque functio musculi est, vt sese contrahat, simulque artus moueat

et regat — — Mufculi caui, dum fefe contrahunt, cauitas coarctatur. Abfoluta contractione mufculi, fponte iterum fefe relaxat, et in ftatu quietis manet, donec novus ftimulus, fiue internus, isque fere perpetuus, cordis, tubi cibarii exemplo, fiue externus, quorum fere funt innumeri, fibras carnis follicitet. Languet haud raro vis mufculorum, aut deficit prorfus, id quod Languor, Torpor, Paralyfis audit, quae gradu folummodo differunt.

Si vero contractio mufculi tanta, vt artus maneant rigidi, atque flecti nequeant, fpasmus audit, et eft nihil aliud, quam exceffus contractionis eius generis, vbi pars affecta manet, durante fpasmo, in ftatu rigiditatis.

Vera indoles fibrarum mufculorum omnium, etiam minimorum, vix oculo vifibilium,

in eorum vi irritabili consistit. Spasmus vulgo stimuli alicuius effectus est. Dantur vero spasmi et conuulsiones absque omni stimulo admoto, a solo excessu irritabilitatis. Vulgo quidem istud genus morbi appellari solet, spasmus, s. conuulsio *sine* materie. Conuulsio nulla ratione a spasmo differt. Adesse dicimus conuulsionem, si membra huc et illuc, citra hominis voluntatem mouentur, agitantur, conuelli dicuntur. Solum itaque discrimen spasmum inter et conuulsionem in eo consistit, vt spasmus sit violenta contractio musculi, citra voluntatem aegroti, et rigiditate membri affecti, conuulsio autem reciproca agitatio violenta membrorum, et artuum. Istud discrimen, quod in sensus incurrit, effecit, vt a longo inde momento temporis, contractio illa violenta, in duo genera dispersa, scilicet spasmum *tonicum* et *clonicum*, quae vocabula in-

primis

primis placuere affeclis STAHLII. Solo itaque phaenomeno ſpasmus et conuulſio ab inuicem differunt, minime vero indole. Una itaque eademque cauſſa, cum ſpasmos, tum conuulſiones gignit.

Quis velit enumerare incredibilem recenſum cauſſarum, quae modo ſpasmos, modo conuulſiones efficere ſolent. De his mihi ſermo non eſt. Sola enim ſigna percenſebo, non vero cauſſas. Si quis vero cupidus haec omnia ſcire, adeat, b. ANT. de HAEN Rat. Med. P. X. qui de Tetano prolixe egit, nec non BOERHAVIUM, in libro egregio de morbis neruorum, TISSOTI librum eiusdem argumenti, BILFINGERUM et STARCKIUM, de Tetano, MORGAGNI, LIEUTAUD opera ſuper cauſſis morborum, anatome detectis, aliosque, qui argumentum iſtud pertractarunt.

Res

Res mira eſt, omnino, nec explicatu adeo facilis, qui fiat, vt ab vna eademque cauſſa morbi mox oriatur hoc, mox vero aliud conuulſionum genus.

Recenſum enim cauſſarum Epilepſiae atque Tetani, ſi quis ſolertiori ſtudio comparare velit, inueniet certe, ab iisdem cauſſis, omnibus atque ſingulis, modo Epilepſiam, modo vero Tetanum oriri. Nec iſtud reticendum eſt, ſummam eſſe cognationem conuulſionum atque ſpasmorum. Etenim dantur ſpasmi, et conuulſiones, quorum ſocii dolores diriſſimi. Dolor autem, qui comitatur haud raro ſpasmos et conuulſiones, conſiderari debet tanquam ſymptoma acceſſorium, etenim non pertinet ad propriam ſpasmi et conuulſionis indolem, cum ſaepe abeſſe poſſit.

Alia arctior cognatio conuulſionum et ſpasmorum cum deliriis hic notari meretur. Phreniticici non ſolum conuelluntur, ſed etiam delirant. Chorea Sti Viti, nec non conuulſio, quam latino ſermone appellare neſcio, et quae germanice appellatur die Kriebelkrankheit, non eſt absque mente delira. Qui Tetano laborant, non ſemper quidem, ſed interdum, delirare ſolent. Nonnulli hominum, qui Tetano comprehenſi, ſentiunt, vident, et olfactum quod attinet, vix ferre poſſunt Moſchi odorem, aut ſimilia, alii vero alto ſopore quaſi ſepulti iacent, et Asphyxiae laborantium inſtar, ſenſationibus orbati.

Eſt memorabilis omnino cognatio conuulſionum et affectuum ſoporoſorum, et ſenſuum priuationis. Epileptici, Tetano laborantes, vt antea monui, priuari ſolent mentis facultate.

Rifus Sardonius, morbus fingularis, itidem defignat morbum, qui delirio, et minis faciei mufculum conuulfionibus vexat affatos.

Tanta eft itaque cognatio conuulfionum, deliria inter atque foporem altum, quem catochum Graeci vocant, vt effari fere nequeat. Morbus, quem Graeci *Typhomaniam* appellant, eft etiam mixtum morbi genus. Homo enim, Typhomania laborans, laborat febre maligna, alto fopore, fimulque delirat.

Nolo hic repetere omnia conuulfionum genera, nam haec in Pathologia recenfentur omnia.

Sed liceat mihi annotare, HIPPOCRATEM, qui fui fimilem non habuit, nec habebit vnquam, non ignoraffe conuulfionum atque fpasmorum cauffas praecipuas. Placet, loca memorabilia, quae huc pertinent, ex FOESII

in-

interpretatione hic allegare. Sunt vero, HIPPOCRATE monente, praecipuae conuulſionum cauſſae ſequentes:

1) *Repletio et Depletio vaſorum a ſuccis.* Aph. VI. 39. *Conuulſio fit aut a repletione, aut euacuatione. Sic quidem etiam ſingultus.*

„Satis bene Diuus HIPPOCRATES praeclarum exemplum exhibuit veritatis illius, morbum oriri poſſe a cauſſis ſibi e diametro oppoſitis.

2) *Purgatio nimia.* a) Aph. V. 4. *Purgationi immodicae conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum.* b) Aph. VII. 25. *A purgantis potione conuulſio, lethale.*

„Nego, et pernego HIPPOCRATIS effata eſſe obſcura, ideoque non eſſe lectu digna. Recentiorum ſagacitas nil melius dete-

 xit,

xit, quam quod HIPPOCRATES iamiam ſciuit, nempe eundem morbum oriri poſſe, vt antea iam monitum, a cauſſis contrariis. Sanguinis, ſeri iactura, ſeminis excretio nimia, lacttatio nimis diu protracta, haemorrhagia enormis, vulnerum nimia ſuppuratio, et, vt verbo complectar, omnis humorum iactura, minatur mortem, ſaltim homo fit debilis, vires languent, leucophlegmatia, hydrops.

3) *Haemorrhagia.* Aph. V. 3. *Sanguine multo effuſo, conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum.* Coac. 363. *Largae ſanguinis ex naribus eruptiones per vim ſuppreſſae, interdum conuulſiones accerſunt, vnde liberat venaeſectio.*

Aph. VII. 9. *A ſanguinis fluxu delirium, aut etiam conuulſio, malum.*

Nul-

„Nulla explicatione eget hic locus. Quis enim nescit, ab omni haemorrhagia, inprimis vero enormi, oriri conuulsiones?

4) *Purgantia acria.* Aph. V. 1. *Conuulsio ex elleboro, lethale.* Coac. 567. *Ex epoto veratro conuulsio, exitium adfert.*

„Quae de Helleboro hic dixit HIPPOCRATES, eadem quoque valent de omnibus atque singulis purgantibus, quae vulgo drasticis annumerantur.“

5) *Inflammatio viscerum.* Aph. VII. 17. *Ab hepatis inflammatione singultus, malum.*

„Non solum ab hepate inflammato, sed et ab inflammato ventriculo.

6) *Vigiliae.* Aph. VII. 18. *A vigilia conuulsio, aut delirium, malum.*

7) *Ileus.* Aph. VII. 10. *Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut delirium, malum.*

„Siue ilei nomine.

8) *Tetanus.* Aph. VII. 13. *Ab ardoribus vehementibus conuulſio, aut tetanus, malum.*

„Quis ignorat, ſingulis febrium generibus ſuperuenire conuulſiones omnis generis, Triſmum, Tetanum, Crocidiſmum, Carphologiam, caet.

„Conuulſiones cum febre alibi HIPPOCRATES damnauit Coac. 269. *Conuulſiones cum febre acuta, perniciem denunciant.*

9) *Haemorrhagia narium retenta.* Coac. 336. *Largae ſanguinis ex naribus eruptiones*

nes per vim ſuppreſſae, interdum conuulſiones acerſunt, vnde liberat venaeſectio.

„Non ſolum ab haemorrhagia narium retenta, ſed a menſtruis retentis et haemorrhoidibus ſuppreſſis, conuulſiones naſci, neminem fugit.

10) *Dentitio infantum.* Aph. II. 25. *Ad dentitionem vero accedentibus, gingiuarum pruritus, febres, conuulſiones, alui profluuia, et maxime vbi caninos dentes producunt, et iis qui inter pueros ſunt craſſimi, et qui aluos duras habent.*

„Conf. ROSENSTEIN de infantum dentitione difficili.

11) *Vulnera, praeſertim capitis.* Coac. 506. *Quibus ex poſteriore parte oſſibus fractis, capitis dolor ineſt, vehemens et craſſa e na-*

naribus fluxio, malo est. Ii, dolore antea ad oculum suborto, rigore corripiuntur. Quin etiam ossium ad tempora effracturae, conuulsiones accessere solent.

„Ab omni dolore potest oriri conuulsio, immo a contusione validiore."

Aph. VII. 14. *A plaga in caput, stupor, aut delirium, malum.*

„Conuulsio, delirium, stupor, sunt morbi cognati, quorum limites vix definire audeo."

12) *Phrenesis.* Coac. 101. *Crebrae in phreniticis permutationes, conuulsiones denuntiant, ac prauae sunt.*

„Phrenesis, vi vocis graecae, est alienatio mentis cum febre acuta maligna."

„Perbene satis HIPPOCRATES descripsit phrenitidis signa pathognomonica Coac.

96.

96. *Phrenitici parum bibunt, ex leuibus ſtrepitibus facile irritantur, tremuli ſunt, aut conuulſionibus tentantur.*

„Vix datur phreneſis vnquam absque conuulſionibus.“

Non omnes quidem cauſſas ſpasmorum atque conuulſionum HIPPOCRATES enumerauit. Sed quis rencentiorum ſibi velit perſuaſum habere, ſe omnes cauſſas illius morbi enumeraſſe. Quae recentiorum ſagacitas detexit, omnium optime recenſita leguntur in HAENII libro, cui titulus ratio medendi, P. X. nec non in libro TISSOTI, qui agit de neruorum morbis.

Caput II.

De signis, quae praesagiunt conuulsionem imminere.

HIPPOCRATES, totius studii semiotici conditor, et facile Princeps, solertiore studio eas omnes caussas recensuit, quae *imminentem* conuulsionem praesagiunt. Huc pertinent, quae hic collectim exhibeo.

1) *Crebrae in phreniticis permutationes.* Coac. 101. *Crebrae in phreniticis permutationes, conuulsiones denuntiant, ac prauae sunt.*

2) *Sudor tenuis.* Coac. 154. *Qui per febres tenuiter exudant, cum capitis dolore, et aluo intercepta, ad conuulsiones proni sunt.*

„Notari meretur, sudorem tenuem esse princeps signum febrium malignarum."

3) *Fe-*

3) *Ferox mentis emotio.* Coac. 155. *Quae sensim feroces fiunt mentis emotiones, in ferinas euadunt, et conuulsiones portendunt.* Coac. 85. *Quae sensim feroces fiunt mentis emotiones, in ferinas euadunt. Quin et conuulsiones quoque praenuntiant.*

4) *Oculorum hebetatio.* Coac. 226. *Oculorum hebetatio, cum animi defectione, promptam conuulsionem denuntiant.* Coac. 257. *Vox acuta eiulabunda, ac oculorum hebetudo, conuulsionem minantur. His dolores ad inferiores partes demissi, toleratu sunt faciles.*

5) *Faucium dolor.* Coac. 268. *Vehementes faucium dolores, aurium tubercula, et conuulsiones excitant, itemque ceruicis, ac dorsi dolores.* Coac. 262. *Faucium gracilium praefocantes dolores, vbi ex capitis dolore ortum duxerint, conuulsiones adferunt.*

6) Cer-

6) *Ceruicis, ac dorſi dolor.* Coac. 265. *Ceruicis, ac dorſi perfrictiones, quae etiam totum corpus peruadere videntur, conuulſiones denuntiant, in quibus vrinae hordei toſti non exacte moliti craſſoribus fruſtulis ſimilia continent.* Coac. 270. *Ceruicis, cubitorumque dolores, conuulſiones minantur, ex facie autem ad fauces iſta procedunt.*

7) *Lumborum dolor.* Coac. 417. *Lumborum ac tenuioris inteſtini diuturni dolores, et circum praecordia labores, in aegris vna cum febre cibum faſtidientibus, eos dolor intenſus ad caput progreſſus, non ſine conuulſionis ſpecie celeriter interficit.* Coac. 320. *Lumborum, et oris ventriculi dolor, cum forti ſcreatione, conuulſionem quodammodo ſuſpectam facit.*

8) *Deſipientia cum ſopore.* Coac. 84. *Deſipientiae cum ſopore, conuulſiones minantur.*

9) *Ia-*

9) *Iactatio et inquietudo.* Coac. 82. *In praecipitibus malis, corporis motio, iactatio, ac turbulentus somnus, nonnullis conuulsionem portendit.*

10) *Ventris tumor.* Coac. 86. *Temerarii ventris tumores in morbis longis, conuulsiones afferunt.*

11) *Melancholia.* Aph. VI. 56. *Morbis melancholicis ad haec periculosi sunt humorum decubitus, aut corporis siderationem, aut conuulsionem, aut insaniam, aut caecitatem significant.*

„Istud effatum omnino concernit effectus ab atra bile. Cf. BOERHAVE in Aphor. suis de melancholia atrabilaria.

12) *Perfrictio, animi abiectio praeter occasionem.* Coac. 4. *Ex perfrictione me-*

tus, ac animi abiectio, praeter occasionem, in conuulsionem tendit.

13) *Rigor, peruigilium, delirium soporosum.* Coac. 20. *Qui subinde rigore prehenduntur, et sub noctem aliquando grauius habent, peruigiles, in somnis nugantes ac delirantes, interdum sese lotio perfundentes, ii in conulsionem tendunt.*

14) *Pulsatio venarum temporum, faciei rubor,* caet. Coac. 128. *Si venae temporum in febribus pulsent, et facies bene habita fuerit, absque praecordiorum mollitie, longum fore morbum sperare oportet, qui nec sine liberali sanguinis ex naribus profusione, aut singultu, aut conuulsione, aut coxendicum dolore, desinet.*

15) *Tumor in vlceribus disparens.* Aph. V. 65. *Quibus tumores in vlceribus apparent,*

rent, non valde conuelluntur, neque insaniunt. His autem derepente disparentibus, quibus in postica quidem parte fuerint, conuulsiones, tetani: quibus vero in antica, insaniae, aut lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicundi fuerint tumores.

16) *Respiratio difficilis in febribus.* Aph. IV. 68. *In febribus spiritus offendens, malum. Conuulsionem enim significat.*

Caput III.

Signa prognostica.

In arte praesagiendi HIPPOCRATES summus erat, et sui similem non habuit, nec habebit vnquam. Istud vero reminiscendum

est,

eſt, HIPPOCRATEM non ſyſtematice ſcripſiſſe, eo ſenſu, quo recentiores ſyſtema intelligunt. In libris diuerſis HIPPOCRATIS, atque diſcipulorum ſuorum, ſaepius idem effatum repetitum legitur. Vt itaque omnia magis pateant, non inutilis mihi videtur labor, ea omnia colligere, quae diſperſe HIPPOCRATIS monimentis occurrunt. En itaque, B. L. quae de exitu conuulſionum HIPPOCRATES ſcripſit.

1) *Febris ſoluit conuulſiones.* Coac. 354. *Conuulſiones, et neruorum diſtentiones, ſuccedens febris ſoluit.* Aph. IV. 57. *A conuulſione, aut Tetano detento, febris ſuperueniens ſoluit morbum.* Coac. 358. *Conuulſionem ſoluit febris ſuccedens. Confert autem et vrinae vitreae copioſus pertranſitus, et alui fluxio, et ſomnus. Conuulſiones autem derepente or-*

tas

tas, febris soluit, ac alui fluxus. Aph. II. 26. *Febrem conuulsioni superuenire melius est, quam conuulsionem febri.*

2) *Menstrua etiam.* Coac. 357. *Conuulsionem muliebria, si circa initia appareant, neque febris accesserit, soluunt.*

3) *Menstrua vero nimia conuulsionem annunciant.* Coac. 338. *In copiosa sanguinis fluxione, aut singultus, aut conuulsio, malum denuntiant.*

4) *Conuulsio a vulnere, seu plaga, mala.* Coac. 506. *Vulneri succedens conuulsio, malo est.* Aph. VII. 14. *A plaga in caput, stupor, aut delirium, malum.*

5) *Opisthotonus signum malum.* Coac. 361. *In neruorum distentionibus, et iis quae in posteriorem partem fiunt, dissolutae maxillae mor-*

tem afferunt. Quin etiam lethale eſt, in poſteriorum partium diſtentione, ſudare, et corpus diſſolui, ac in eodem malo per nares revomere, aut vbi per initia vox defecta fuit, clamare, aut nugari. Poſtridie enim affuturam mortem ſignificat.

Negari nequit, HIPPOCRATEM in Anatome parum fuiſſe verſatum. Ex ſolis tantummodo phaenomenis diiudicat omnia in morbis phaenomena occurrentia. Si vero HIPPOCRATES legiſſet pereximium libellum Cl. BANG de neruis ceruicis, omnino theoretice melius intellexiſſet cur ſpasmi ceruicis adeo pernicioſi.

Spasmum ſequitur paralyſis, eſt princeps axioma in arte noſtra. Ab opiſthotono itaque maxillae inferioris paralyſin oriri, mirum non eſt.

6) Spes

6) *Spes Epilepticorum.* Aph. II. 45. *Epilepticis pueris, mutationes, maxime aetatis, et regionum, et vitarum, liberationem faciunt.* Aph. III. 28. *Plurimae quidem affectiones pueris iudicantur, aliae in quadraginta diebus: aliae in septem mensibus: aliae in septem annis: aliae ipsis ad pubertatem accedentibus. Quae vero pueris permanserint, neque solutae fuerint circa pubertatem, aut foeminis circa menstruorum eruptiones, perseuerare solent.* Aph. V. 7. *Quibus epilepsiae ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus vero accidunt viginti quinque annos natis, his plerumque commoriuntur.*

7) *Dentium stridor.* Coac. 235. *Dentium collisio, aut stridor, praeter consuetudinem a teneris contractam, insaniam ac mortem denuntiat. Quod si iam deliranti accidat, pror-*

ſus exitiale eſt. Quin et dentes reſiccari, perniciem denotat.

8) *Conuulſio ceſſans.* Coac 156. *Conuulſio in febre ſuborta, eademque die deſinens, bono eſt.*

9) *Conuulſio perſeuerans.* Coac. 157. *Conuulſio in febre ſuborta, febrem primo die, aut tertio, finit. Quod ſi horam qua prehendit, ſuperet, nec deſinat, malo eſt.*

10) *Paralyſis oculorum, in febre continua, ſignum lethale.* Aph. IV. 49. *In febre non intermittente, ſi labium, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus peruertatur, ſi non videat, ſi non audiat, corpore iam debili exiſtente, quicquid horum fiat, in propinquo mors eſt.* Coac. 218. *Caligine obducti oculi, aut eorum album rubeſcens, aut liueſcens, aut nigris venis refertum, nihil probi prae ſe fert. Malum quoque eſt, et lucem refugere, aut illacrymare, aut peruerti,*

ti; atque ex his alterum minorem esse, perniciem denuntiat, et oculos crebro disiicere, gramias ac paruas sordes ipsis adhaerescere, aut albescentem humorem concretum et tenuem (aegida nominant) habere, aut eorum album augeri, nigrum autem imminui, aut nigrum a superiore palpebra contegi. Vitiosa quoque est oculorum cauitas, et vehemens oculi foras experessio, ac splendoris elisio, adeo vt pupilla extendi nequeat; et cilia retorta, ac fixi oculi, ac continenter conniuentes, coloris immutatio; aut palpebras per somnum non committere, perniciem ostentat. Quin et distortus oculus malo est. Coac. 221. *Cum oculorum peruersione, febribus, et lassitudinis sensu, detento, rigor perniciem minatur. Atque in huiusmodi casibus soporati, malum denuntiant.*

11) *Conuulsio a vigilia.* Aph. VII. 18. *A vigilia conuulsio, aut delirium, malum.*

12.

12) *Deglutitio difficilis.* Coac. 277. *Per febres repente ſtrangulari, et deuorare non poſſe, citra tumorem, malum eſt.* Coac. 278. *Collum neque conuerti, neque deuorare poſſe, plerumque lethale.*

13) *Lumborum dolor.* Coac. 312. *Dolentibus lumbis, ſi oris ventriculi dolor acceſſerit, futurae per haemorrhoidas vacuationis ſignum eſt, aut etiam eam praeceſſiſſe ſignificat.* Coac. 320. *Lumborum et oris ventriculi dolor, cum forti ſcreatione, conuulſionem quodammodo ſuſpectam facit.*

14) *Deſipientia cum ſopore.* Coac. 84. *Deſipientiae cum ſopore, conuulſiones minantur.*

15) *Venarum temporum pulſatio.* Coac. 128. *Si venae temporum in febribus pulſent, et facies bene habita fuerit, absque praecordiorum mollitie, longum fore morbum ſperare opor-*

oportet, qui nec ſine liberali ſanguinis ex naribus profuſione, aut ſingultu, aut conuulſione, aut coxendicum dolore, deſinet.

16) *Pauores in ſomno.* Aph. IV. *67. In febribus ex ſomnis pauores, aut conuulſiones, malum.*

17) *Reſpiratio difficilis.* Aph. IV. *68. In febribus ſpiritus offendens, malum. Conuulſionem enim ſignificat.*

18) *Conuulſiones et dolores circa viſcera.* Aph. IV. *66. In febribus acutis, conuulſiones, et circa viſcera dolores vehementes, malum.*

Ni fallor. ſermo eſt de inflammatione viſcerum, ac inflammatione meſenterii, et febre meſenterica, quam BAGLIVI, totus Hippocraticus adeo egregie deſcripſit.

Sed haec ſufficiant.

THE.

THESES.

I. Seminium vermium inteſtinalium hominibus connatum eſt.

II. Non dantur abortiua ſtricte ſic dicta.

III. Saepe febris optima eſt medicina.

IV. Dantur morbi ſalutares.

V. Perpaucis, at ſelectis medicamentis, ad morbos ſanandos et arcendos, vtendum eſt.

VI. Vſus aquae frigidae, et glaciei, in apoplexia capiti ſuperhabitae, quam maxime laudandus.

VII. Mala eſt regula, qua vomitas vomitu ſemper tolli iubetur.

VIII. Foetus liquore amnii non nutritur.

IX. Gonorrhoea ſine mercurialium vſu curari poteſt.

X. In vtero dantur fibrae muſculares.

XI. Phthiſis ſaepe eſt contagioſa.

XII. Solutio placentae non ſemper naturae relinquenda.

Corrigenda.

Pag. 10. lin. 2. l. conuulsionem; l. 4. l. percenseam. P. 12. l. muscularibus: Illarum etc. P. 14. l. 13. l. rigiditas. P. 16. l. 11. p. spasmorum, l. dolorum. P. 18. l. 2. p. minis, l. miris; l. 3. l. musculorum. P. 20. l. 5. l. lactatio; l. 9. l. hydrops, debilitatis illius sunt effectus. P. 22. l. 4. deleatur: siue ilei nomine; l. 5. p. *Tetanus*, l. *Causos*. P. 24. l. 6. l. validiori. P. 26. l. 4. l. sollertiori; l. 5. p. eas omnes caussas, l. ea omnia symptomata.

5.

F. I. Purgold
Doct. medic.

COMMENTATIO
IN
VIM NATURAE HUMANAE
PHYSICE
IRACTAM ET ENERVATAM
AETIOLOGICE
INQUIRENS.

Marburgi Cattorum
Literis nov. typograph. academ.
1791.

§. I.

Inſtituti ratio.

Non dubito fore plerosque, qui me hac in materia tractanda verſantem aliquid incongrui facere exiſtiment, cum ea, quae hic *ſpeciminis inauguralis* loco conſcribenda exiſtimavi, nil niſi fragmenta materiae copioſiſſimae ſiſtant et adeo jam dudum paſſimque in multorum medicorum monimentis docte et eleganter commemorata legantur. Pathologis enim omiſſis, ex multis qui de morbis nevricis ſcripſere, quique omnem fere aetiologiam eorundem morborum

abſolverunt, a) H. BOERHAVIUM, b) R. WHYTTIUM, c) POMME, d) TISSOTUM nominaſſe ſufficiat.

Sed qui in eo eſt, vt *ſpecimen* induſtriae ingeniique ſui qualiscunque exhibere juſſus ſit, eum et ratio et inſtitutio eiusmodi opuſculi arctis ſatis limitibus ſtrictum tenent: cui vero docendi

a) H. Boërh. *praelect. de morbis nerv. ex edit.* Iac. v. Eems, *Amſt. 761, 2 Vol. 8.*

b) R. Whytt's *ſämtl. zur prakt. Arzneyk. gehörige Schriften, a. d. Engl. Leipz. 771. 8.*

c) *Abhandlung von den hyſter. und hypochondr. Nervenkrankheiten beider Geſchlechter, 4te Ausg. a. d. Franz. v.* I. A. Gladbach *Breslau u. Lpz. 775. 8.*

d) S. A. D. Tiſſot's *ſämtl. zur Arzneik. gehörige Schriften nach den neueſten Originalausgaben u. ſ. w. 3. u. 4r Theil, Lpz. 781, 5r Theil, 782.*

cendi alios, aut nova et inaudita proferendi animus eſt, eum et ingenio excellere et multa multum prudenterque expertum eſſe oportet; quod quidem velle omnibus licet, ſed efficere vires juveniles minusque adhucdum exercitatae me vetant. Quum vero affectiones morboſae variae, *energiam naturae humanae depravatam* indicantes; *affectiones hyſtericae* imprimis, hodie longe lateque ſerpant, non inepte me acturum exiſtimavi ſi ad *quasdam Cauſas et morales et phyſicas* tantorum malorum indagandas mentem advertens, judicium ipſe meum obſervandique facultatem exercerem.

Ea vero inſtituti eſt ratio, vt varia momenta et fata, quae nobis Europaeis acciderunt, pathologice conſiderata altius repetens, *a progreſſiva demum noſtrae naturae depravatione* et *a variis cauſis moralibus et phyſicis*

con-

continuo imperium suum in mortales adhucdum exercentibus, *labem illam physicam*, quae hujus aevi progeniem pessumdat, *ex parte* derivem.

§. II.

Quicunque annales, quae generis humani fata memoriae tradunt, pervolverit, eas potissimum rerum humanarum periodos integritati naturae nostrae eiusdemque energiae infestas inveniet, quando Respublicae, fundamentis politicis ope virtutum bellicarum jactis, ad morum et ingenii culturam tendunt aut in eadem jamjam versantur. Rebuspublicis enim in incunabulis adhucdum versantibus, cives temperantiam, sobrietatem, et corporis exercitia praeprimis colentes *otiumque* nescientes, tanto et animi et corporis robore vigent, vt si *morbos instrumentarios* exceperis, vix aliis iisque pauci-

ciſſimis urgeantur e). Gentes itaque ad finem a legibus aeternis ipſis praeſcriptum tendentes, cum *otio* ſeſe dent, litteris artibusque amiciſſimum et perneceſſarium, eo ipſo et libertatis et roboris innati jacturam faciunt.

Si vero quis gentium fata *pathologice* ita mente perpendit, vt morum culturam in iisdem ſenſim ſenſimque progredientem contemplet, a magna cohorte aegritudinum ab omni inde tempore mortales afflictos intelliget, quarum aliae endemiae, ſporodice; aliae epidemice in eosdem furorem ſuum exercere non deſiverunt. In cunctis terrae plagis, ea, quae omnem omni reſpectu attentionem et admirationem movet, Europa ſcilicet, varias magnasque mutationes

et

e) v. I. P. Brinckmanns *Vergleichung der Erziehung der Alten mit der heutigen u. ſ. w. 2te Aufl. Düſſeldorf 788.*

et calamitates ſubeundo, f) vt ſenſim ſenſimque id culmen ſplendoris attingeret quo nunc a coaetaneis conſpicitur, etiam medico attendenti multa momenta *ad Pathologiam hiſtoricam* ſpectantia offert. Inter multa alia enim infra ex parte commemoranda, etiam multorum morborum ortum Europa vidit, quorum alii epidemice variis temporibus graſſando magnos luctus vbique induxerunt, vti peſtes variae, atrocitate ſua famoſae: alii Europae fines peregrinando adierunt, et poſtquam aliquamdiu hic hoſpitaverant, cura et vigilantia Europaeorum iterum aut expulſi ſunt, aut ſaltem in fines anguſtiores relegati, vt *Elephantia-*

ſis,

---

f) *V. Univerſalhiſtor. Ueberſicht der vornehmſten an den Kreuzzügen theilnehmenden Nationen u. ſ. w. in d. hiſtor. Memoirs v. 12ten Iahrh. v.* Fr. Schiller, *1te Abtheil. 1r B. Iena 790.*

ſis g), *lepra*, *peſtis*. Dantur praeterea morbi, qui endemici inter nos facti, majorem attentionem in annalibus medicis merentur, vti *ſcorbutus* h), qui a navigatione, poſt chriſtianorum expeditiones in terras ſanctas, reſtaurata florenteque innotuit; adde *Sudorem Anglicum*, *Petechias*, quae aegritudines ante ſeculum XV. vix cognitae erant i). Sed ortus *variolarum* et *luis venereae* praeprimis maximi momenti ſunt, non ſolum ratione incrementorum, quae ars ſalutaris inde cepit, quaeque magna ſane ſunt

et

g) *v.* W. Cullen *Anfangsgründe der prakt. Arzneyk. 2te Ausg. Leipz. 789, im 4ten B. p. 467—495.*

h) *v.* Ibid. *p. 420 et pag. 459 et ſeqq.*

i) *v.* I. F. Blumenbachii *Introd. in Hiſtoriam medicinae litterariam, Goett. 786, p. 115. §. 142,*

et varia k), verum ob id etiam potiſſimum, quod omnes generationes ſequentes et nos ipſi haec fata generis humani, ob magnas calamitates quas inde paſſi ſumus, lugendo abhorreſcimus.

Sed varias ob cauſas mox *ex parte* referendas, energia et primitivum illud robur, cuius mentio ſupra facta eſt, in magna hominum parte ita amiſſa ſunt tantaque infirmitatum complicatio enata, vt variae paulatim aegritudines *hereditate* in generationes ſequentes propagatae, naturam noſtram depravationi phyſicae praecipitem darent; quod ita experientia et obſervationibus medicorum comprobatum eſt l) vt demon-

k) v. Ph. G. Hensler *über den Weſtind. Urſprung der Luſtſeuche*, *Hamb.* 789.

l) v. S. A. D. Tiſſot *l. c.* 4ter *Theil*, *Cap.* 8. §. 24. *p.* 5. 12. *et ſeqq.* *Conf.* Pom-

monſtratione vix egere videatur. Iam vates ille ita m):

Fortes creantur fortibus et bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

§. III.

Omnia jam dicenda breviter diſpoſui ita, vt Imo *Ortum quorundam morborum*, qui veteribus ignoti, inter Europaeos, maximo eorum detrimento irrepſere, huc referam n). Accenſendus his:

I. *Mor-*

Pomme *l. c. p. 16.* I. G. Zimmermann *v. d. Erfahrung i. d. Arzneyk. neue Aufl. Zürich* 777 *im 4ten B. Cap.* 14. *pag.* 751. *et ſeqq.* M. A. Weikards *vermiſchte med. Schriften,* 1. *St. S.* 112. *et ſeqq.*

m) Q. Horat. F. *opera, Manh.* 779, *p.* 163.

n) *v.* S. A. D. Tiſſot *l. c. im 4ten Theil, C.* 9. §. 138. *p.* 351. *et ſeqq.*

I. *Morbus variolarum*, cuius quidem, unde ortus sit? notitia magnis adhuc difficultatibus premitur, id tamen SARCONE o) in egregio suo opere perscrutando inquirendoque absolvit morbum hunc veteribus fuisse incognitum, eundemque vix ante seculum VI. in Europae plagis apparuisse p), licet jamjam a temporibus RHAZIS inde multi auctores, notitiam variolarum Graecis tribuant q). Gravissimis vero olim symptomatibus stipatae *variolae*, epidemice longe lateque grassatae, magnos luctus vbi-

o) *v.* Mich. Sarcone *v. d. Kinderpocken u. s. w. a. d. Ital. übers. v.* L. F. Lentin, *Gött. 782.*

p) *v. l. c., p. 299. §. 131. et seqq. p. 402. §. 180. et seqq. p. 576. §. 228. et seqq.*

q) *v. Ibid. p. 316. §. 141. et seqq. Conf.* S. G. Vogels *Handbuch der praktischen Arzneik. im 3ten Theil, Stendal 788, Cap. 1.*

vbique induxerunt r); quin et hodie morbus hicce ſaevire tanto furore ſolet, vt civium copia quo minus augeatur, cum maxime inde impediatur s). Cum vero olim morbi natura incognita t) et hinc ei medendi methodus rationi nondum adaptata eſſet, multum detrimenti *integritas naturae humanae* inde paſſa eſt. Adde miasmatis varioloſi tantam virulentiam vt multas corporis functiones turbet, multaque ſemina morborum in corporibus propaget, ſi per varias vias excretorias corpore non legitime expulſum fuerit u).

II.

r) *v.* M. Sacone *l. c. p. 490. §. 220. et ſeqq.*

s) *Ibid. p. 521. §. 233. et ſeqq.*

t) *v.* M. Sarcone *l. c. p. 426. §. 189. et ſeqq.*

u) *Ibid. p. 106. §. 44. et ſeqq. et p. 186. §. 87. et ſeqq.*

II. *De morbillis* ratione originis idem fere notandum quod de variolis dictum est v), atrox et saevus praeterea morbus w), maleque curatus aut aliis ex caufis varia feminia morbofa in corporibus relinquere folet, pulmones imprimis et oculos afficiendo, variasque functiones corporis laedendo x).

III. Loco *luem veneream* nomino. De vera huius morbi origine nos nondum certos

effe

v) *v.* S. G. Vogels *Handbuch der P. A. 3ter Theil, S. 189. §. 52. Conf.* W. Cullen *l. c. im 2ten B. p. 95.*

w) R. v. Rofenftein *Anweifung zur Kentniß d. Cur der Kinderkrankh. a. d. Schwed. überfetzt. v.* I. A. Murray, *5te Aufl. Gött. 785, p. 296.*

x) *v.* S. G. Vogels *Handbuch, 3ter Theil, p. 200. §. 57.*

esse y), nullus est fere, quem fugiat. A longo enim inde tempore jamjam fuere, qui natales Syphilitidis Americanas dubio habuerunt z), quos inter hoc saeculo ineunte W. BECKETT praeprimis eminet a) I. ASTRUC rem ita absolvisse videbatur, vt vix quispiam de origine luis venereae Indica dubitaret, donec R. SANCHEZ et PH. HENSLER contrarium docentes in causa fuere; vt nuperrime GIRTANNER originem huius morbi Americanam fortiter et erudite defenderet. Quodsi etiam HENSLERO assentiri velles dicenti: praedispositionem ad affectiones venereas varias homi-

y) v. Ch. Girtanners *Abhandl. über die Vener. Krankh. Gött.* 788, *p.* 3. *et p.* 8, *Conf.* Cullen *l. c. 4ter B. p.* 395. *et seqq.*

z) *v.* Girtanner *l. c.* 2. *B. pag.* 272.

a) *v. Ibid.* 3. *B. pag.* 446. *et p.* 451.

hominibus femper infitam fuiffe, fed variis temporibus morbum huncce variam induiffe formam, variisque fuiffe ftipatum fymptomatibus, luemque veneream feculi XV finientis tanquam epidemiam fui generis effe confiderandam; id tamen conftat hanc ipfam epidemiam, fi hoc nomine luem veneream in Europae regionibus verfus finem feculi XV fefe manifeftantem infignire velis, magna calamitate gentes afflixiffe, indeque continuo *et morbi et ratione medelae multum ad corpora enervanda* contuliffe, ita vt ne fententia quidem de morbis venereis larvatis, quam R. SANCHEZ b) R. v. ROSENSTEIN c) et

b) *Obfervations fur les maladies veneriennes, Paris 785. 8.*

c) *l. c. 27ter Abfchn. pag. 689. et feqq. Conf.* Ch. Girtanner *l. c. 3. B. p. 873.* *et*

et alii fine vlla limitatione ferunt, ad ifta probanda egeam.

Lues itaque *venerea* inprimis digna mihi videtur, cui mentem advertamus, et quidem ex duplici ratione: primum quia morbus ipfe faevus et atrox, diraque facie olim et maxime cum furore faeviit; deinde quia ob methodos medendi perverfas olim vfitatas d) et adhucdum ex parte fuperftites, maximae perniciei generi humano exftitit e).

Mor-

et feqq. W. Cullen *l. c. 4ter B. pag. 399.*

d) *v.* Ch. Girtanner *l.* c. *pag. 340. et feqq.*

e) *v. Ibid. pag. 360. et feqq.*

Morborum, quos modo memoravi, magnum imperium *in temperamentis alterandis emolliendisque* ab omni inde tempore fuit: si enim verum est, singulos morbos singula aggredientes corpora ob stimulos praeternaturales, quos in eadem exercent, ad proximas aegritudines praedisponere; non inficiandum erit, naturam etiam humanam multum energiae et vigoris sui amittere, si continuo ex vna generatione in alteram multae potestates morbosae ita deriventur, vt eandem enervando pessumdent. Quaeritur enim quis tandem exitus foret civium illorum, qui vitae generi otioso et sedentario addicti, vitam in urbibus degunt, quas Europa habet vastissimas et quam maxime frequentatas, quo omnium provinciarum opes et copiae tanquam in centrum confluunt, nisi continuo adventitii ex ruribus, tanquam ex seminariis, generationes germinibus suis emendando corrigerent

gerent et ita *Diathesin* illam *speciosam et tene ram* corroborarent f)?

§. IV.

IIdo Considerandus mihi venit omnium regionum orbis terrarum *strictior quam olim connexus*, qui ex Indiis aliisque telluris plagis detectis ortum ducens in causa est, vt varii morbi, mores et consuetudines peregrinando ex vna regione in alteram non sine indigenarum damno transierient.

Ad morbos quod attinet variolarum migrationes g) et lues venerea vbicunque ende-

f) v. S. A. Tissots *Abhandl. über d. Krankheiten d. Weltleute, im 2te B. s. sämtl. zur Arzneik. gehörigen Schriften u. s. w. p. 243 et seqq.*
g) v. V. Sarcone *l. c. pag. 396. §. 177. et seqq.* Conf. Vogels *Handb. 3r Th. pag. 3.*

endemica facta tristia nobis satis exempla sistunt.

Sed ex multis rerum diaeteticarum vicissitudinibus *aliquas* indicasse mihi sufficiat:

I. Quae ex Indiis ad nos advehuntur *aromata*, acris sane et calidae indolis, etsi vbivis in vsum culinarem recepta sunt, tamen nec climati, nec temperamentis nostris conveniunt. Provida enim natura cuivis plagae ita munera sua dispensavit vt ab omni parte indigenis accommodata sint et adaptata. Quae enim regiones Indiae vtriusque sub coelo calidissimo ardent, his et Caryophyllum aromat. Laurum cinnam. Epidendron Vanillam, Piperis varias species, Capsicum annuum etc. etc. largita est. „ Calidum clima, videtur calida condimenta „ acriaque postulare, ad corpus sudore difflu-

„ ens

„ cns roborandum, atque etiam ventriculum „ firmandum, qui alias eo vſque langueret, „ vt febribus intermittentibus facillime locum faceret h)". Itineratores de Abyſſinia nobis narrant, carnes ibidem ita aromatibus acribus condi, vt Europaei inaſueti hos cibos ob acrimoniam ſummam ne deglutire quidem poſſint, ab indigenis vero talem diaetam absque vllo incommodo perferri.

Nos vero huius generis condimentis gulam irritandi et palatum grate afficiendi cauſa abvtentes, nervos ventriculi irritando ita afficimus, vt in languore huius viſceris vel ſenſibilitate nimia ſenſim ſupervenienti, multorum morbo-

rum

h) v. I. P. Bergii *materia medica*, *Edit. IIda Stockholm 782*, *Tom. I. p. 28.*

rum et acutorum et chronicorum mater quaerenda ſit i).

II. Vſus *potuum calidorum* in re alimentari non negligi poſſe videtur, et omnes auctores qui de affectionibus nevricis ſcripſere R. WHYTT k), TISSOT l), MICHELL m), et alii in abuſu Theae et Coffeae cauſas affectionum

i) *v.* I. F. Zückerts *zwote Fortſ. ſeiner Abhandl. v. d. Nahrungsmitteln, Berlin 788, p. 260.* *Conf.* H. D. Gaubii *Inſtitut. Pathologiae medicinalis, Edit. III. Leid. Bat. 781. p. 170. §. 310. et* I. G. Zimmermann *l. c. 4ter B. pag. 532.*

k) *l. c. pag. 493.*

l) *l. c. 2 Theil, §. 70. et ſeqq. Conf. 4. Theil, C. 9. p. 351. §. 138. et ſeqq.*

m) Ian. F. Michell *Diſſert. Phyſico-Medica de Cauſis, indole et therapia morb. nerv. qui in Belgia obſervantur etc.*

num hyftericarum remotas ex parte quaerere non dubitaverunt.

A. Quod partes chemicas theae ficcatae, qualis apud nos in vfu eft, attinet, omnes ad unam adftringentem fcilicet, redigi poffunt; vim enim narcoticam fuam, qua recens Thea praedita eft, ex longuinguitate temporis amittit, eaque ratione vix nocere videtur n). Sed abufus hujus potus longe lateque ferpens ratione aquae calidae effectus noxios prodere folet. Infufum enim Theae dilutum tepideque ingeftum inftar fummi *Diluentis* et *Relaxantis* ventriculum debilitando aggravandoque agit o).

„Qui

n. *v.* C. Mönch *v. d. Arzneimitteln, Marb.* 789, *S.* 185

o) *v.* I. G. *Zimmermann l. c. 4ter B. pag.* 570. *et feqq. Conf.* G. D. Gaub. *l. c. pag.* 284. §. 474.

„ Qui apud nos Thea abutuntur, inquit BER-
„ GIUS, pallidi fiunt, tremuli, languido ven-
„ tre, insomnes p)".

B. Quae fata vsus Coffeae diaeteticus in Europa subiit, apud BERGIUM ante laudatum videri licet q). Notissima res est decoctum seminum Coffeae saturatius summum Excitans esse. Sed non hinc illae lacrymae! Homines enim plebeii hoc decoctum tanta aqua dilutum tantaque quantitate tepide inhauriunt, vt eadem incommoda, quae ex abusu aquae calidae in genere in corpus redundant; inde patiantur. Abusus vero huius potus inter eosdem homines tam frequens est, vt, omnem fere fidem superet.

§. V.

p) *v. l. c. Tom. II. pag. 496.*

q) *v. Ibid. T. I. pag. 116. et seqq.*

IIItio Rerumpublicarum conditionem et politicam et moralem ā proximis inde aeuis *prorſus mutatam* huc refero.

Jamjam a prima propagatione Doctrinae Chriſtianae inde varia acciderunt quae interitum *Gymnaſticorum* ita promoverunt, vt ipſis regenerandis nulla fere ſpes ſuperſit. Refer huc ingenium ipſum priſcorum Chriſtianorum mores paganorum abhorreſcens, adde luxuriam morumque laſciviam, cui deinde ſubRomanorum Imperatoribus chriſtiani, republica jamjam labente, indulſerunt; prae omnibus vero inventionem pulveris pyrii alterum dimidium ſaeculi XIV. illuſtrantem, ortumque militiae perpetuae r).

Vr-

r) *v.* I. P. Brinckmann *l. c. Br.* 14. *p.* 130. *et ſeqq. Conf. Br.* 15. *p.* 145. *et ſeqq.*

Vrbium porro frequentia et celebritas, civium conditionem ita mutavit, vt vna cum ortu *artificum* et *opificum* et diverſae aegritudinum ſpecies, hiſce hominibus propriae, natae ſint s). Numerus vero *eruditorum variorumque hominum ſedentariorum* admodum adauctus, ſimul et morborum nevricorum augmento anſam praebuit. TISSOTO incrementum meditationum et lucubrationum a ſeculo inde repetendum horum morborum origo princeps eſſe videtur t). Sexui inprimis ſequiori, inquit, lectio librorum qui fata ficta, aut res, imagines inferentes ſenſibus noxias, deſcribunt, tantae pernicici exſtitit, vt inde princeps hyſteriae

s) v. Berh. Ramazzinis *Abhandl. von den Krankh. der Künſtler und Handwerker, neu bearbeitet.* v. I. C. Ackermann, 2. *B. Stendal* 783.

t) *v.* S. A. Tiſſot *l. c.* 4 *Theil*, *pag.* 179. *in nota ad* §. 60.

riae fons et incapacitas officia materna praestandi in iisdem deducenda sit u).

Ex duplici autem fonte Minervae cultores ad morbos nevricos praedisponuntur quorum alter in nimia mentis ingeniique exercitatione, alter in corporis quiete nimia situs est.

A vita enim sedentaria et otiosa viscera abdominis et functiones ventriculi praeprimis afficiuntur, vnde sordes primarum viarum, febres gastricae, cardialgia, colicae, flatus, obstructiones viscerum abdominalium variae. Muscularis fibrae energia depravata circulationem humorum illegitimam, lentam inducit, vnde caloris nativi imminutio, omnium se- et excretionum languor, ita vt excernenda retenta variam

u) v. Tissot. *l. c. C. 9. §. 138. pag. 362.*

variam indolem morbofam adipifcantur; transpiratio cutanea in hominibus fedentariis facile turbanda, eosdem ad Rheumatismos varii generis praedifponit. Functiones nervorum, eae inprimis, quas in actiones naturales exercent, citius tardius laeduntur, nutritio corporis inde inanis; quam ob rem macilenti fiunt, irritabiles, hyfterici, melancholici v).

Omnis porro meditatio nimia diuque protracta fenforio cummuni infefta eft atque inimica. Mens enim tam miris vinculis corpori juncta inhaeret, vt omnes rerum ideae fortiores in corpus reagendo motus anomales, incon-

gruos

v) *v.* H. D. Gaub. *l. c. p.* 339. §. 513. *et feqq. Conf.* Zimmermann *l. c.* 4*tes B. p.* 585. *et feqq.* S. A. D. Tiffots *Abhandl. v. d. Gefundh. d. Gelehrten im* 2*ten B. feiner fämtl. zur Arzneik. gehörigen Schriften u. f. w.*

gruos in eodem producant w). In ſinceris itaque et aſſiduis Minervae affeclis irritatio cerebri continuata, affluxum humorum in eodem commoto efficit, ita vt cephalagiae, haemiplaegiae, ſopori, lethargo, apoplexiae x) obnoxii evadant. Ex ipſa demum vibratione frequenti et perpetua fibrae medullaris, haec tandem obrigeſcit, ita vt variae mentis facultates, memoria inprimis, hebetent et jacturam capiant y). His omnibus denique adde *febrem lentam nevricam*

w) *v.* I. G. Zimmermann *l. c. 4tes B. 15s Cap. pag. 765. et ſeqq. Conf.* S. A. D. Tiſſots *l. c. 4r Theil, Cap. 9. §. 96. p. 234.*

x) I. H. Rahns *Briefwechſel u. ſ. w. 1te Saml. Zürich 787, pag. 106. et ſeqq.*

y) *v.* S. A. Tiſſot *Abhandl. über d. Geſundheit d. Gelehrten, l. c. Conf. deſſelben ſämtl. zur Arzneik. geh. Schriften u. ſ. w. 5r Theil, Lpz. 782, Cap. 20., §. 15, p. 50.* I. G. Zimmermann *l. c. 4r B. p. 687 et ſeqq.*

cam quae hominibus litteratis admodum familiaris eſt, ſummamque cerebri et nervorum atoniam indicat, dum a ceteris morbis, qui ex hac ipſa fonte aut ex nervis ſyſtematis digeſtionis laeſis oriuntur, facie et gradu non vero natura differre videtur z).

Varia praeterea accidentalia eruditorum valetudini inſidiari ſolent, in quibus fugiendis, ſi ſtudioſiores eſſent, a multis incommodis ſeſe munire poſſent. His adnumero:

I. Diſcentium corporis ſitum praeternaturalem, genua enim flexa ſanguinis circulationem

z) v. M. A. Weikards *vermiſchte Schriften*, *2s St.* *Conf.* I. H. Rahn *l. c. p. 107.* I. G. Zimmermann *l. c. 4tes B. 1s Cap. p. 676.* C. G. Selle *Rudimenta pyretologiae methodicae, edit. 2. Berol. 786. p. 325 et ſeqq.*

nem legitimam extremitatis inferiores verſus, impediunt, corpus antrorſum inclinatum viſcera abdominis comprimit, et quae alia eius generis plura ſunt.

II. Lucubrationes nimias, quae cerebrum ita commovent, vt ſomnus ille placidus, a quo virium reſtauratio partiumque nutritio tantum pendet, lucubrantes plane fugiat.

III. Aëris diſcentes ambientis corruptionem, candelarum imprimis exhalationes noxias a).

IV. Induſtriam et ardorem diſcendi quorundam, quo vix cibis digerendis momenta quaedam dicant.

V. Ardorem illum diſcendi furioſum, quo multi ab excretionibus naturalibus detinentur.

Multa

a) *v.* Bernh. Ramazzini *l. c. 1. Theil, pag. 36.* *Conf.* I. G. Zimmermann *l. c.*

4tes

Multa praeterea eiusdem generis his addere possem, nisi TISSOTUS b), qui in omnium manu versatur, tanta eruditione, tantaque orationis elegantia hanc materiam absolvisset, vt vix vllus desiderandi locus supersit.

Ex vita vrbana et deside porro mores elegantiores et luxuria aevi varia originem trahentes varias insuper causas *Diathesis arthriticae* c), et *status illius febrium*, qui ELSNERO *nervosus* dicitur d), quique hodie admodum frequens est, remotas sistunt e). Hic vel ab initio aegro-

4tes B. 5tes. Cap. pag. 492. M. A. Weikard *l. c. 3s St. p. 20.*

b) *l. c.*

c) I. H. Rahn *l. c. p. 97. et seqq.* *Conf.* W. Cullen *l. c. 1r B. p. 545 et seqq.*

d) *v. Beyträge z. Fieberl. v.* C. F. Elsner, *1s St. Königsb. 789, p. 36.*

e) *v.* S. A. D. Tissot's *Versuch über d. Krankh. d. Weltl. im 2ten Th. s. sämtl. Schrif-*

aegrotis adoritur, absque ſuſpicione contagii, vel ſubito in decurſu morbi diverſa facie eosdem agreditur, ita vt vox *malignitatis* inde nata videatur; at ſemper a functionibus nervorum laeſis pendet f). Haec nervorum debilitas itaque magna ex parte in inumeris et variis animi pathematibus, homines togatos quotidie infeſtantibus g), in menſarum luxuria potuumque ſpirituoſorum abuſu, in venere denique vaga et immodica quaerenda eſt h).

An

Schriften, *p. 243. et ſeqq. Conf.* Pomme *l. c. p. 13 et ſeqq. v.* S. G. Vogel's *Handb. d. P. A. 2r Theil, p. 14. §. 5.*

f) *v.* C. G. Selle *l. c. pag. 306.*

g) *v.* Tiſſot's *Verſ. ü. d. K. der Weltl. l. c. §. 23. p. 273. Conf.* Tiſſot *l. c. 4. Theil, Cap. 9. p. 268, §. 107 et ſeqq.* I. G. Zimmermann *l. c. 4tes B. 11tes Cap. p. 638. et ſeqq.*

h) *v.* Ian. P. Michell *l. c. Conf.* Zimmermann *l. c. p. 547. et p. 605. et ſeqq.*

An etiam criminis illius nefandi, in tenebris latentis, mentio facienda? Inter omnes daemones, qui e pyxide Pandorae in orbem terrae prosiliere, furiosissimus, pessimus; de interitu juvenum ridens vultu infernali, horrendo, detestando i)!

---

i) *v.* Tissot's *Abhandl. über d. Krankh. d. von der Selbstbefl. herrühren, im 2ten Th. s. sämtl. Schriften, p. 519. et seqq. Conf.* S. G. Vogel's *Handb. d. P. A. 3r Th. pag. 123.* Zimmermann *l. c. 4tes B. p. 615. et seqq.*

The-

Theſes.

I. *Cortex Peruv. in phthiſi pulmonum vlceroſa ſumma prudentia adminiſtrandus eſt.*

II. *Materiam, quam Phthiſi pulmonum pituitoſa laborantes ore dejiciunt, lympham pituitae admixtam eſſe, non omni veroſimili caret.*

III. *Nullum datur ſignum pathognomicum, quo ſemper et ſub omni conſiderandi modo, phthiſis pulmonum pituitoſa ab vlceroſa diagnoſci poſſit.*

IV. *In plerisque gonorrhoeae ſpeciebus medicamenta topica internis palmam praeripere mihi videntur.*

V. *Infantes lue venerea non in generatione, ſed in partu a matre morbis venereis localibus pudendorum laborante inficiuntur.*

VI. *Diſtinctio variolarum in diſcretas et confluentes nullum vſum practicum mihi habere videtur.*

VII. *Miasma vatioloſum natura ſua ſemper vnum idemque eſt, quas vero modificationes ratione ſymptomatum ſubit, a febre, a diathesi individui et a variis cauſis occaſionalibus dependent.*

VIII. *Rubiam tinctorum in Rachitide nullam vim ſpecificam habere, opinor.*

XI. *In hyſtericis cautius cum Venae S. agendum, congeſtiones enim hic rariſſime a plethora, ſed plerumque a ſpasmis proveniunt.*

X. *Omnes febres, quarum cauſa materialis in ſordibus quibusvis primarum viarum latet, vſu evacuantium probe inſtituto in incunabulis exſtingui poſſunt.*

D. Henr. Guil. Frid. Sölling

Commentatio medica

de

Febre carcerum.

Marburgi

typis novae typograph. academ.

1790.

VIRO

ILLUSTRI ET DOCTISSIMO

FAMA, SCRIPTIS NEC UNO NOMINE

CLARO

GEORG. FLOR. HENR. BRVENING

A. L. M. PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORI, COMIT. PALAT. CAESAR. CELSITUDINIS REGIAE, PRINC. ET ABATISS. ESSEND. ET THORENSIS NEC NON PRINC. REGN. HOHENLOICI CONSIL. AULIC. ET ARCHIATRO, SERENISSIMI ET ILLUSTRISSIMI CAPITULI ESS. MEDICO ORDIN. PRINCIPATUS ET LIBER. URBIS ESSEND. PHYSICO, EIUSDEMQUE REIPUBLICAE H. T. SENATORI, IMPER. NATUR. CURIOS., ACAD. ELECT. SCIENT. UTIL. ET SOCIET. SCIENT. PRINC. HASS. COLLEGAE

COGNATO SUO AC SUMMO FAUTORI

AD CINERES DEVENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

IN SUMMAE OBSERVANIAE TESTIMONIUM

EA, QUA DECET, REVERENTIA

offert

Auctor.

PRAEFAMEN.

Quum in deligendo dissertationis objecto in hoc inciderem thema, fieri non posse, quin in multorum reprehensionem incurram, probe intellexi. — Utpote qui aliis rem nimis arduam ac juvenili ingenio superiorem aggressus, aliis me frustra desudasse, laboremque fructu plane destitutum suscepisse, videri debeo.

At pondus, quod humeris subire parabam, me rite antea expendisse, fatendum est. Haud exigui

sane

ſane momenti conamen eſt, ſi opinioni vetuſtate, auctoritateque tanti nominis Virorum ſanctae, fatum molitur adoleſcens, adiitis ſalutiferae artis nondum luſtratis. — Accedit, quod me nonnullos, autographos ſaltem, qui de hac materie diſſeruere, ſcriptorum libros noſtra in Germania eſſe nacturum, ſpe ſim fruſtratus: quem ob defectum aequos rerum arbitros, ſi opus omnibus, ut ajunt, numeris abſolutum in lucem emittere non potui', mihi indulſuros eſſe confido. Neque minus me, quod gravium noſtra in arte virorum ſententiae adverſari coactus fui, veniam impe-

petraturum ſpero. Quis enim eſt, qui noſtro aevo novis inventis in dies magis magisque conſpicuo, veteres errores eruere, erutos corrigere et veritati ampliorem pandere viam erubeſcat?

Si vero qui ſint, qui me laborem, quem ſubire operae non ſit pretium, aggreſſum arbitrentur, ex his quaero, num deſipere aliquis putetur, qui in aliarum regionum morbis indagandis operam poſuerit? Anne conſtet, morbum, de quo mihi ſermo fuit, noſtris civibus plane fuiſſe ignotum, et ſi forte fuerit, num ejus notitia nun-

quam

quam in posterum ad nos sit perventura?

Haec sunt, quae specimini huic videbantur praemittenda. — Quod reliquum est, si, quem mihi proposui finem, non sum assecutus, connivebunt sane viri ejusmodi laborum gnari. In posterum forsan, quae nunc mutila mancaque vides, L. B. otium nacta, exercitatior perficiet manus. Interim vale, coeptisque meis favere ne desinas.

THESES.

I.

Febris fic dicta carcerum eft febris fui generis.

2.

A putrida vero et nervofa febre toto diftat coelo.

3.

Nulla febris putrida eft contagiofa.

4.

Cancri virus eft miafma fpecificum, a quovis alio diverfum.

5.

Non omnis fcirrhus, qui adhaeret, exftirpationem refpuit.

6.

Rubeolas atque morbillos inter magna intercedit differentia.

7.

Angina pectoris nihil aliud eft, quam arthritica materies, metaftatice ad Ventriculum delata.

8.

Miafma fyphiliticum foetui nunquam communicatur.

9.

Nullum datur fignum colicae faturninae pathognomonicum.

10.

Acidum aereum in phthifi pulmonali femper eft dubium remedii genus.

11.

In veneficio arfenicali concentrata faponis folutio omnibus aliis remediis palmam praeripit.

12.

12.

Consensus sive partium C. H. sympathia e doctrina neurologica nullo modo explicari potest.

13.

Sanguis menstruus, facta conceptione retentus, vasis uteri distendendis ac relaxandis non autem nutriendo inservit foetui.

14.

Peculiaris ille, qui in angina membranacea percipitur sonus, non est signum morbi pathognomonicum.

15.

Morbo haemorrhoidario vix unquam beneficii naturae nomen convenit.

16.

Fluxus coeliacus et haemorrhoides mucosae s. albae nomine quidem non re ab invicem differunt.

17.

Fluxus vero coeliacus, hepatici adinstar, non semper est indolis haemorrhoidalis.

18.

Quo citius eo melius extrahitur cataracta.

19.

Cirsocele non est varix venae aut aneurysma arteriae spermaticae sed intumescentia epididymidis et ipsius testiculi.

20.

Staphyloma nihil aliud est, quam praeternaturalis corneae crassities.

CONSPECTUS

TOTIUS MORBI.

Cap.

DE

DE FEBRE CARCERUM.

CAP. I.

Nomina morbi referens.

Varia ille, quem describendum suscepimus, morbus a diversis auctoribus sortitus est nomina. Nunc enim audit febris carcerum, nosocomiorum, seu nosodochiorum, nunc classium sive nauticorum, nonnunquam morbus castrensis, petechialis immo pestilentialis nuncupatur. Alii iterum febrem lentam nervosam, aut contagiosam et malignam vocavere, alii denique et potissimum veteres in arte scriptores morbum putridae insignivere titulo. Anglis passim dicitur: The Iail, Hospital

ſpital, Ship, Goal, Camp, Leaguer, low nervous, Contagious, Malign, Epidemic, Putrid, Petechial, Spotted, Slow, Little, Peſtilential Fever or Febricula: The Sickneſs of the houſe: Synochus: Cullenio typhus, Germanis vocatur: *Das Gefängniß, Hoſpital, Schiffs, Lager, Lazareth, Kercker, bösartiges, anſteckendes, faules, Fleck- Nerven Fieber. etc.*

Univerſae hae denominationes, utut ſint noſtro tributae morbo, unius profecto ſunt aeſtimandae aſſis nec ulla earum videtur admittenda. Utpote cum neque natalem febris locum, qui ubique terrarum exiſtere, ac nullum non univerſi angulum tenere poteſt, usque denotent, neque ejus periculum declarent, neque morbi genium aut medendi rationem nobis coram oculis ſiſtant; ſed pravas e contra

tra de affectus indole concipiendi notiones tritam nobis sternunt viam.

Morbum enim nosocomicam, classicam, castrensem aut carcerum febrim vocantibus facillime oboritur suspicio, illum solummodo navibus, carceribus aut nosodochiis esse familiarem, alia omnino intacta relinquere loca; cum tamen noster affectus nullibi endemius, omnem inter populum funestam stragem edere possit. Levi denique negotio in errorem deducitur tiro, rerumque haud gnarus, ut omnem febrem hisce in locis obviam, cumprimis si fuerit epidemica, pro hacce febris specie agnoscat, cum tamen meridiana luce clarius sit, quodcunque febrium genus ista tenere ac devastare posse loca.

Pari ambulant paſſu reliqua febris incongrua cognomina, variis ab auctoribus inepte ipſi dicata. Petechiae enim inconſtans admodum morbi ſymptoma nunc adeſſe nunc poſſunt abeſſe. Peticulae etiam innumeris praeterea aliis ſociae morbis, et in noſtro non niſi in ultimo *a*) febris ſtadio in conſpectum veniunt. Petechialis itaque ſeu petechizantis aequivoca denominatio, cum non ſolum non ſemper concomitantur morbum hae maculae, ſed et de ipſius natura aut curatione nos non reddant certiores, in huncce affectum prorſus non quadrat.

Nec minori jure a malignae febris cognomine abſtinendum eſt. Malignitatis enim nimis

a) G. BLANE *Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute*, *T. III*, *p.* 271.

nimis hybrida vox ambiguaque e Nosologia satius proscribenda *b*) vel vocabuli notio, ut evitetur confusio, exactius videtur determinanda. Noster praeterea affectus ea, ut perhibent, malignitate non semper incedit stipatus *c*); nam contagii vis *) ac miasmatis ener-

b) PRINGLE *Krankh. einer Armee, von Brande*, Cap. VII. 379. BURSERIUS instit. med. pract. Lips. 1787. T. I. §. 52. 53. S. G. VOGEL *Handb. d. pract. Arz. Wiss.* Ed. 2. T. I. §. 76. TODE *med. chir. Bibl. B.* 9, p. 457. BANG cf. Act. Havn. V. II. 162. WEIKARD *Verm, Schr. St.* 4. BÜTTNER diss. de febr. nerv. acut. Gott. 1785, §. 3.

c) LIND on the Health of seamen etc. Lond. 1778, 308. GRANT *neue Beobacht. über ansteck. Krankh.* etc, Lips. 1778, 40.

*) Me quidem non fugit, contagii ac miasmatis vocem ab invicem probe discerni. Vocant

energia ferociora nunc, nunc mitiora inferendo symptomata, aliam atque aliam faciem morbo induit. — A peſtilentiali autem morbo mirum, quantum differt! Hujus enim miaſma ex nova contagione usque proficiſcens *d*), nunquam noſtri in modum ſponte in actum erumpit, nec unquam in India orientali

Vocant enim alii contagium animatae, miaſma, inanimatae ſubſtantiae prolem. Modum alii, quo miaſma in corpus transfunditur, contagii voce exprimere ſolent. Utriusque rurſus vocabuli vim, ut rem minus gravem, plane negligunt multi.

d) CAMPBELL obſerv. on the Typhus or low contagious Fever etc. Lancaſt. 1785, 36. GRANT l. c. 13. SYDENHAM opp. Cap. 2. Art. 7. MURRAY *med. vraſt: Bibl.-B.* 1, 183.

entali *e*) et occidentali peſtilentiae ſeſe diffudit contagium, ubi magnam ſaepius ſtragem noſter edu affectus. Reliqua, quibus ab invicem uterque diſcrepat, criteria, ſicco nunc pede tranſibo, cum ſatis appareat, peſtilentiale morbo omnino non convenire cognomen. — A pluribus porro Nervoſi iniquum obtinuit nomen. Nervoſam vero febrem proprie vocant clari in arte viri, a corpore cuicunque cauſae debilitanti diu patente, nactam *f*).

e) FÜRSTENAU et PAXMAN obſ. de Indor. morb. et medic. recuſ. in HALLER. diſp. pr. arg. T. VI. 754. OWEN diſſ. de contagione Edinb. 1783. rec. in Theſ. diſſ. Edin. T. IV. 365.

f) cf. MANNINGHAM on the febricula or little fever Lond. 1764. 49. HUXHAM opp.

Corpus hinc aggreditur debile, tono relaxato magnaque nervorum mobilitate seu morbosa laborans irritabilitate; sororio plerumque vinculo invicem nexis g); cunctaque demum symptomata, manifestis non respondentia caussis, idiopathicam testantur systematis neruosi [illegible] affe-

[illegible]

[illegible]

[illegible] opp. cur. REICHEL T. I. 166. T. II. 82. HOME *clin. Vers.* LIpf. 1781. 14. PRINGLE loc. cit. 403. STOLL Rat. med. T. III, 360. Ej. Aphor. 130 BURSERIUS l. c. 350. S. G. VOGEL l. c. *B.* 2, §. 5. SELLE med. cl. Ed. V, 28. SIM. HERTZ obs. de febr. nerv. Berol. 1789, 28. CARELSON diss. de febr. lent. nerv. Gott. 1782, §. 9.

g) MARCARD *Beschr. v. Pyrmont, Leipz.* 1785, *B.* 2. 19. ZIMMERMANN *von d. Erfahr.* passim. BEYR diss. de laxa corp. compage etc. Ien. 1789, 16

affectionem h). Febris autem, de qua nobis est sermo, ulli vix parcit aetati, nec vitae anteactae habita ratione, robustam perinde ac enervatam aggreditur constitutionem. Quibus ita se habentibus nervosae illam salutare nomine, foret nefas. — Contagiosae dein frequens in auctoribus occurrit denominatio. Morborum vero contagio se diffundentium adeo late patet imperium, ut hoc cognomine parum distincte a ceteris eam discernere queas. Omnibus porro hujusmodi morbis cum loca, quorum amore noster tenetur effectus, sint obvia, vocem hanc aegre admitti posse, facile concedet quilibet rerum aequus arbiter.

Putridae

h) SELLE Pyretol. meth. Ed. 3. 299. WHYTT on nervous disorders, Lond. 1768, 528. HERTZ. l. c. 156. BÜTTNER l. c. §. 14-18.

Putridae tandem nomine, multis ut placuit noſtram ſalutare febrem, religio eſſet, multa cum ſint, quae utrique intercedunt criteria, paullo poſt fuſius exponenda. — Nec deſunt, qui cum continua remittente, miaſmatis paludum plerumque ſobole *i*), morbum confundere voluerint, ambo licet cauſarum, contagii ac ſymptomatologiae habita ratione, toto diſtent coelo.

Ex omnibus itaque, quibus gaudet morbus, denominationibus, nullam eſſe, quae jure ipſi conveniat, haud difficile eſt perſpectu-

i) GARDINER obſ. on the animal oeconomy etc. Edinb. 1784, 182, 352. LIND Treatiſe on the putrid and remitting fever Lond. 1772, 25. LANCISIUS de nox. palud. effl. L. 2. C. 3. BLANE l. c. 296 al.

ctu. Omnia enim cognomina ita ſunt comparata, ut alia dubia plane, falſaue, pluribus alia utut familiaria morbis, minus apta videantur, tutaque.

CAP. II.

Literariam morbi enarrans hiſtoriam.

Fata nunc et literariam affectus hiſtoriam recenſendi mihi incumbit negotium, quod vero brevitati ſtudens reſtrictis abſolvam verbis.

De fontibus febriumque differentiis parum ſolliciti veteres k) quemcunque fere morbum

k) CELSUS in praef. oper. PRINGLE l. c. 387. D. MONRO *Kriegsarzn. Wiſſ. Altenb.* 1771, *B.* 1, 76. OWEN l. c. 359.

bum epidemicum maximeque acutum, vocantes pestilentialem *) vel nostri originem plane ignorarunt, vel prolixiorem ejus historiam negligentes, mancam nimisque suspectam morbi delineationem exhibuerunt. Patet quidem e DIODORO SICULO *l*) reique medicae veteris aevi scriptoribus, illos morbi fontem haud ignorasse, sed vitalium animantium effluviis venenatam atmosphaeram, unicam eamque praecipuam accusare mali causam nescivere. Taceamus itaque eorum in scriptis obvia loca, forsan huc spectantia; haerentes dubii,

*) Refert F. PLATER (obs. L. 2) contagiosam febrem, genii usque diversam septies urbi Basileae suo incubuisse aevo. Hujusmodi Epidemiam quinquies in Dania vidit T. BARTHOLIN. (de medic. Dan.) Uterque febrem Pestem vocat!

l) Bibl. histor. Hanov. 1604. L. 12. C. 45.

dubii, an morbus, cui describendo operam navarunt, fuerit noster, nec ne? Ampliorem, quem scire juvat, omnis fere aevi scriptorum notitiam, qui incerta manu hoc tetigere argumentum; libellum adeat Illustr. BALDINGERI *m*), aliorumque.

Primia, ni fallor, ac indubitata morbi vestigia ab accurato historiographo CAMDENO invenimus relata, cujus verba curavi transcribenda. *n*). *Iisdem*, inquit, *diebus, dum judices ad assisas Oxoniae sederent, et* RULANDUS IENCKINS *procacis linguae*

m) Introd. in notit. script. med. milit. Berol. 1764. MONRO l. c. 225-244. HALLER Coll. disp. pr. T. V. VI.

n) Britann. Lond. 1530 ib. annal. reg. Elizab. ann, 1571.

guae bibliopola de probrosis in principem verbis in judicium vocaretur; venenoso ac pestilentiali halitu sive ex pedore incarceratorum sive ex solo ita correptio omnes, qui aderant, ut intra quadraginta plus minus dies fere singuli, praeter mulieres et pueros obierint, nec contagione alia tacti. Inter hos fuere viri graves, et jurisscientiae clarissimi et jurati, quos vocant, fere omnes et alii plus minus trecenti." Morbi quoque mentionem jam jam fecere BACON *o*), STOWE *p*), BAKER *q*), gravissimi sui aevi viri! aliique haud ambiguam. Proprio idio-

o) History natural 814. Exp. 914.

p) Survey of the cities of Lond. and Westminst. Lond. 1720, Vol. 2, 18.

q) Chronicle of the kings of Engl. 853.

idiomate morbum circa ann. 1574 cuſtodias infeſtantem appellat alter; the ſikneſs of the houſe. Exſtincto SYDENHAMO, dubio morbi auctore, magni in arte viri HUXHAM r), PRINGLE s), LIND t), BROCKLESBY u), D. MONRO v) eo, quo ſolebant, ſtudio ingeniique acumine

r) Op. cit. T. I. 124, 234, 254, 268. T. 2. 66. al. loc.

s) Obſerv. on the nature and cure of Hoſpital and Iail fevers Lond. 1751

t) l. c. Ed. 1. ed. 1757, Ed. 2. 1762, auct. with a diſſ. on Fevers and Infection and obſ. on the Iail diſtemper.

u) Oeconomical and medic. obſerv. Lond. 1764.

v) Account of the diſeaſe in the britiſh Hoſpital in Germany Lond. 1764.

ne hancce doctrinam ex professo sunt prosequuti; in eo forsan reprehendendi: ut nostri, putridique affectus aetiologiam ex eodem derivando fonte, causarum catalogum ingrato exaggerarint labore. Quos excipiunt, qui multum de febre meruere, LETTSOM w), et GRANT x): uterque enim docta, manuque exercitata cum theoreticam tum practicam morbi partem egregie excoluit. Magnus vero CULLENUS fuit primus, qui, mali fontes breviter perstringendo, e specifico morbi originem petit miasmate. Immortales

w) Medical memoirs of the general Dispensary Lond. 1774.

x) Essay on the pestilential fever of Sydenham, commonly called the Goal, Hospital, Ship and Camp fever, Lond. 1775.

tales vero HOWARDI y), viri de patria optime meriti! neminem fugient, quos vita demum persolvit, labores. Acerba enim civium captivorum sorte commotus, cum patrios tum peregrinos saepenumero visitavit carceres, mente revolvens, cur saeva contagio, peregrinis fere ignota, cives tam misere urgeat! Quibus perscrutatis cogitata, malique avertendi consilia senatui apperuit. Novissimis dein temporibus ingens autorum inclaruit cohors, qui coaevi, pro ingenii dotibus, reique dignitate, omnes fere insigni rem pertractarunt studio. In his eminent HEYS-

HAM

y) The state of the Prisons in England and Wales, with and account of some foreign prisons, Warringt. 1777 4to.

HAM z), G. PAUL a), S. DAY b), WALL c), BLANE d), RUSH e), KENNEDY f), I. HUNTER g), CAMP-

z) An account of the Iail fever or Typhus carcerum, Lond. 1782.

a) On the defects of Prifons, Lond. 1783.

b) Confiderat. on the different ways of removing confined and infectious air. Maidft. and Lond. 1784.

c) Clinical obferv. on the ufe of Opium in low fever and Synochus, Oxf. 1786, Ed. 2

d) Account on the fhip fever in three parts, Lond. 1785.

e) Cf. Memoirs of the litterary and philofophical fociety of Manchefter. V. 2

f) Account of the contagious fever at Aylesbury, Lond. 1785.

g) Obferv. on the Difeafe commonly called the Iail or Hofpital fever 1785, cf. med. Transact. T. III, 345.

CAMPBELL *h*), ALDERSON *i*). Major adhuc corum pars in scriptis febris mentionem obiter injecere; scil. CULLEN, GARDINER, AIKIN, WHITERS, SIMS, ALEXANDER, FORDYCE al. Ex Italis nominandus restat CERA *k*), cui SARCONIUM *l*) jungere nonnullis placuit, num vero morbus, quem eximio excuderunt labore, ad nostrum referri meretur, in medium relinquimus.

CAP.

h) l. c.

i) An Essay on the nature, and origin, of the contagion of fevers, Hull 1788.

k) De Febre nosocomica, cum append. de febr. carcerar. Mediol. 1779 et 1789.

l) Istoria raggionata degli mali osservati in Napoli. 1765, §. 19-25. al. loc.

CAP. III.

Qualitates morbi expendens.

Singularia nunc quaedam morbi attributa in medium proferre liceat mihi, quorum alia unice nostro, alia pluribus specifici miasmatis competunt morbis.

I. *Nostra febris est morbus summe contagiosus.* Contagium vero nocivam cum Cullenio vocamus potestatem, e corpore aegrotantis proficiscentem, quae sanis adplicata eundem gignit morbum *m*). Permulta omni ex scriptore, qui hanc materiem egit, in Thesis argumentum proferre possem, ni ipsa *contagiosi* denominatio morbi pro gravissimo in-

m) *Anfangsgr. der pract. Arz. Wiss. Leipz.* 1789, T. I, §. 73.

inserviret documento, maximam ipsi inesse vim contagiosam. Duplici quidem via illud miasma in corpus transfundi posse, unanimi constat auctorum suffragio, mediato ac immediato contagio. *Mediatum* (contag in distans) dicimus, dum fomitis ope aut aëris vehiculo ad corpus pervenit virus: *immediatum*; (per contact.) dum ab uno individuo, nulla re intercedente, in aliud transfertur. Quod si etiam satis efficax sit contagii vis, tanta tamen non est, ut e longinquo noxas inferre posset. In distantia enim quinquaginta aut sexaginta pedum nulla est contagii vis, neminem, ni corpus aëris flumini summe corrupti sit expositum, laedens *n*). Omnium, vero facillime

n) LIND l. c. Lond. 1778. 319

me *Fomite* hoc propagatur miasma; vestimentis maxime laneis, toro, pellibus, gossipio etc. sese insinuans *o*).

II. *Omnium fere miasmatum, si pestilentiale excipias, est periculosissimum p*). Horret animus terrore attonitus, ac metu perculsa obstupet mens, tot tantaeque morbi malignitatis contagiique ferocitatis funesta, expendens exempla! quae infectionis momenta, infectis mortem adtulisse testantur *q*). Potissimum illi veneno, quod secum afferunt carceribus

o) HUNTER l. c. 352. DAY l. c. vers. germ. 23. 31. ALDERSON l. c. vers. 22.

p) WHITERS *Bemerkungen, Leipz.* 1776. 338. AIKIN *über Hospitäler*, cf. *Abhandl. für pract. Aerzte* B. III. 211.

q) BLANE l. c. 99. DAY p. 22. 57.

ribus inclusi, summam inesse virulentiam, ingratis tot, eheu! evictum est exemplis. Plura morbi adeo exitiosi exempla persequi, in tanta quae restat rerum dicendarum copia non licet; notissima in veritatis sigillum subiuncturus. Ea fuit contagii energia, quum anni. 1577 iudicii die, qui niger vocatur, Oxonii promulgato, de captivis lata sit sententia; quod in foro spargebant captivi, ut iudices et adstantium turbae, quae trecentesimum, et quod excurrit, complerent numerum pestilentiali miasmate veluti fulmine tactae, viginti quatuor horis inopinata omnes opprimerentur morte *r*). Classis septingenti militibus exstructa cum paucis abhinc annis Indiam peteret occidentalem, tantam mox edidit stragem pestifer affectus, ut

r) BAKER Chronicle 853.

quadraginta vix vivi appellerent homines *s*). Quis eſt! quem infelix acerbumque fugiat Holwelli fatum, qui cum centum et ſeptuaginta ſociis a ſuperbo victore, humanitatis experte, in antrum coniiceretur profundum, ab aëris acceſſu ſecluſum. E tanto enim numero paucis horis praeterlapſis, vixdum viginti, viribus exhauſtis, prodierunt ſemivivi *t*). Nec infrequens infauſti exitus teſtis fuit BLANIUS, tertiam infectis ſupremam illuceſcere diem saepius videns *u*). Permulti quarta quintave luce fato ſuccumbunt morbo hoc correpti *v*).

Triſtia

s) DAY p. 10.

t) Lerreſt. hiſtor. events, etc. Lond. 1765, T. II. ZIMMERMAN l. c. 380. HEUERMANN *verm. Bemerk. T. I.* 113.

u) l. c. 59. 99.

v) MONRO l. c. B. II. 19. BROCKLESBY l. c. verſ. germ. 138.

Triſtia eiusmodi ſubitaneae lethalitatis, qui noſſe cupit, exempla, BACONIUM adeat, HOWARDUM, DAYUM, PAULUM, PRINGLIUM, (cui, immortale dum cuderet opus, diri imago morbi, mortisque intra quadraginta octo horas inſequutae, ante oculos obverſabatur,) ac permultos dein alios. Summa quae e dictis elucet morbi malignitas, a miasmatis vi dependens, eo maior ſit, neceſſe eſt; quo corruptior obſervatur ambiens aër.

III. *Illud miaſma ab una eademque ſemper proficiſcitur cauſa.* E multiplici enim rerum fonte in putredinem proclivium minime repetenda eſt mali origo, cum ex athmoſphaera peſtiferis ſcatente animantium exhalationibus natales ducat hocce virus; ea praeditum facultate, adfecto ſyſtemate nervoſo

vofo *w*) ut fua reactione in humores ii affimilentur, aut materiei divifibilitate ipfis immifceatur.

IV. *Miafma hoc corpus ingreffum febrim plerumque gignit.* Quocunque demum modo intra corpus fufceptum miafma, ut febrem excitet, mutatam corporis irritabilitatem, adauctam five, five imminutam adeffe, oportet *x*). Nervis affectis illorum actio in organa turbatur, inde eorundem functiones mox augentur, mox diminuuntur, vaforum motus

w) REIL (refp. Heydrich) Quaedam circ. Patholog. morb. contag. general. Hal. 1790. §. 14. 15. UNZER *Pathol. der anftekenden Krankh.* Leipz. 1782. 37 fq.

x) ELSNER *Beytr. zur Fieberlehre, Koenigsb.* 1789. St. 1. 17.

motus invertitur, peripherico cutis spasmo oborto, iustoque vividiori organorum reactione se- et excernenda retinentur, adaugentur excretiones, aliaque functionum vitia, febris generationi inservientia, subsequuntur.

V. *Sensorio communi nervisque ex ipso pullulantibus hoc inimicissimum videtur contagium y).* Suscepto enim veneno, presso insequitur pede, morbumque concomitatur integra affectionum, quae nervosae audiunt, cohors. Celerrimus porro ac lethalis, qui subinde observatur, morbi decursus in singulari nervorum affectione latere videtur, ita

ut

y) CAMPBELL on the Typhus 114. 117. FERRIS de sanguinis per corp. viv. circul. putredine rec. in Thes. disp. Edinb. T. IV. 527. GRANT l. c. 24.

ut via ac ratione nobis plane incognita, multorum venenorum in modum z) S. N. immediate afficiendo, feriendoque repentinam inferat mortem. hocce miasma. Omni enim tunc culpa vacare humores, non est, quod moneam. *Non tamen omnes infecti in idem incidunt vitae discrimen.* Omnem enim lapidem movet natura humana, ut venenis, vim ipsi inferentibus, pro virili resistat; Inest profecto, aurea sonant GAUBII dicta, naturae humanae pervigil virtus, quae vitae ac sanitati sui corporis perpetuo studens, his necessaria procurat, nocitura propellit — Nonnulli hinc contagioni expositi recte quidem valent, ut tamen levem cephalalgiam, horripilatio-

z) GARDINER on the animal. oeconomy, 63-66. UNZER *mediz. Handb. Leipz.* 1789. §. 84. 86. *B. II.*

lationes, et languorem perſentiant. Alii iterum ſatis bene ſe habent, ſed vitium in vivendi ratione committentes aut tempeſtatem ſubeuntes, ſtatim obrepit morbus, qui alias ipſis fuiſſet parciturus. Multorum caetero-quin miaſmatum ea eſt conditio, ſcil. hydroph, peſt. ſcab. ſyphil. ut aliquando diu in corpore lateant, ne unico ſymptomate ſui praeſentiam teſtantia. *Denique: in quosdam homines pravos non exſerit effectus noſtrum miaſma.* Magna ſane eſt N. H. conſuetudinis vis, qua quod praeſens inaſſuetis exiſtit venenum, conſuetudinis ope impune ferat. Illibata hinc ſanitate corporis cuſtodes et adſtantes aegrotantium valetudinis curam in ſe ſuſcipiant, perraro in morbum incurrentes: quid! *quod alii communicans venenum ſalvus ipſe et incolumis eſſe poteſt!* Quot funeſta edocuere exempla, ut carceribus dimiſſi, recta utentes

vale-

valetudine, omnes, quibuscum ipsis intercederet commercium, pessima infecerint lue, contagiique semina in dissita propagaverint loca! Ipsis vero, seu consuetudine sensim inducta, non nocuit contagii vis, seu singulari corporis dispositione et idiosyncrasia pro eo aut omni tempore nacta, receptivitate, ut dicunt, ad suscipiendum caruere contagium. Haud dissimilis obtinet ratio, si miasma vener. variol. cet. respicis. Sunt enim, qui numquam huic patent contagioni, immunitatis privilegio veluti donati.

IV. *Specifico suique generis odore illud gaudet miasma* *). Evenit aliquando ut carcerum

*) Ill. MICHAELIS cui frequens fuit, occasio in Amerika versanti, hoc detentos morbo visitandi, odorem vocat mucidum (mulstrig.)

cerum limina salutantes aut in infectum inci-
dentes morbique fomitem, singulari odore
percepto, in stomachum, ut aiunt, delapso,
quem varii varie describere solent, infectio-
nem secum persentiant *a*). Alii illum vapori
e tumulis recenter effossis in altum ascendenti
haud dissimilem putant: alii stramentis in pu-
tredinem abituris odorem iuxta aestimant: alii
tandem cum eo comparant, quem confluen-
tibus laborantes variolis spargere solent. Ve-
stimenta tantopere iterata carcerum visitatione
foetore fuisse imbuta, enarrat HOWARDUS,
ut odoris impatiens non curru sed equo vehi
saepe saepius sit coactus *b*). Et alia ceterum
miaf-

a) LIND l. c. 244. CAMBELL. 32. GARDI-
NER 215. MONRO 4. 22. ALDERSON
98.

b) State of the Prisons, Sect. 1. 13.

miasmata odoris non sunt expertia; quem enim ille erupturas praecedens variolas fugiat odor?

VII. *Miasmatis naturam aliorum instar plane ignoramus.* Nemini mortalium ea contigit felicitas, sereno contendere vultu, se miasmatis variol. morbill. pest. hydroph. al. indolem pervestigasse, agendi modum cognosse, directisque obviam ivisse remediis, quorum subtilem naturam a posteriori, ut dicunt, seu ab effectibus tantum habemus cognitam. Nonne autem pericula aquae calcis virtutem in amoliendo nostro contagio testantia, de acida eius indole opinioni faveant?

VIII. *Contagium hocce semel tantum in eundem irruit hominem.* Nunquam affec-

tum

tum viderunt recidivantem DAY c), HEYSHAM d), aliique. Quadraginta enim annorum experientia sedulaque investigatione edoctus prior morbum hunc nunquam bis invadere mortales asserit, suspicionem alens: nervosam febrem proxime nostro cognatam, vanae repetitae infectionis opinioni ansam dedisse. Alii ceterum morbi contagiosi variol. morbill. pest e), eodem gaudent privilegio, qui semel corpus aggressi omne in aevum plerumque illud relinquunt intactum — Latet vero in Democriti puteo ratio, nonnullis cur venenis celerrime adsuescat N. H. a noxiis illorum effectibus in posterum immunis.

IX.

c) l. c. p. 55 - 58.

d) On the Iail Fever. 14.

e) SAMOILOWITZ Memoire sur la Peste etc. Paris 1783. 70.

IX. *Humano tantum corpori illud contagium videtur inimicum.* Omne miasma nobis infestum; hydrophobicum si excipias (de varioloso adhuc ambigitur) a brutis gradum quasi inhibet; nec illud ipsis invisum hominem laedit *f*). Nostrum praeterea affectum *in mares saepius ac in foeminas, facere impetus,* negante licet HEYSHAMO, explicatu est difficillimum *g*). Infantilis vero aetas plerumque a morbo immunis nutricum mammis, ut in Raphania *h*) fieri solet, succumbentium impune delectatur.

X.

f) BLANE 185.

g) LETTSOM l. c. vers. germ. 22. 44. 84. CAMPBELL. 55. 56.

h) SELLE med. Cl. 375. TODE Bibl. B. I. 155. TAUBE al.

X. *Facili negotio in fugam verti pot-est saeva illa contagio.* Detectis enim mali fontibus efficacissimis ipsi obviam ire remediis cum ad illud avertendum ac supprimendum, didicimus, a natura ultro nobis concessis. Omnis nempe calor sive sit naturalis, sive artificialis, summum estmorbi antidotum: Caloris semper impatiens frigidissima ac borealia globi nostri colit loca, perspicuo sat documento, miasmatis naturam à putredine quam maxime abhorrere. Scorbutus dein, frigidum licet, vt noster, deamet clima et uterque morbus navigantes saepissime infestet, tantus tamen utrique intercedit dissensus, ut alter alterum quodammodo amoliatur. — *Miasma tandem, sua destitutum vi, sponte evanescit.* An forte eius rarefactio sive potestas venenis assuescendi aliave subsit causa, parum constat. Unaquaeque autem Epidemia nunc citius nunc

tar-

tardius suum absolvit cursum, nulli adstricta legi. Aliae citatis passibus ad finem tendentes magnam sub vigore edunt stragem. Aliae sensim incrementa capientes, lento plerumque incedunt passu, morbique dein sporadici faciem induentes sero evanescunt.

CAP. IV.

Definitionem morbi exhibens.

Hisce praemissis ad definiendum nos accingamus affectum, quem brevissimis verbis *febrem sui generis* dicimus, e *specifico coortam miasmate*. Illud vero miasma a quovis alio plane diversum, est soboles ambientis äeris, vitalium animantium exhalationibus eorumque effluviis, si diutius a libero äeris commercio secluduntur, summe corrupti.

Haecce

Haecce morbi definitio, ſi nimis manca inveniatur, tironi parcatur, cum nullus fere illam exhibens, rem plane exhauſerit. Genericam autem morbi deſcriptionem iamiam exhibuere SAUVAGESIUS *i*); nec non CULLENIUS, cuius gravior Typhus noſtram complectitur febrem *k*) — Mirabitur forſan quiſpiam me ſingularis miaſmatis prolem morbum vocaſſe, ex eodem parente uſque enatam, cui vero lubet auctorum ſcripta pervolvere, malique adeo exitioſi ortum, progreſſum, dupliceni-

i) Noſolog. method. Amſtel. 1763. T. I. 308.

k) Morbus contagioſus, calor parum auctus, pulſus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, ſenſorii functiones plurimum turbatae, vires multum imminutae, Synopſ. noſol. meth. Ed. IV. Gen. V. 29.

cemque medendi rationem, attenta secum perpendere mente, huic, nullum certe de peculiari morbi natura superesit dubium.

Hoc omnigenum chaos cunctis in terrarum orbe circumfusum corporibus, per omnia naturae regna distributum, quod, cum animalium ac plantarum vitae inserviat sustentandae, haud inepte vitae dixere pabulum *l*). Illud vero fluidum mobilissimum non est purum, sed magna rerum quantitate, in eo obvolitantium, miraque scatet partium diversitate *m*). Ne minimam quidem, ait Cl. THIERY

l) MARHERR Praelect. in Boerh. instit. med. T. II. 219.

m) HALLER Prim. lin. Physiol. cur. WRISBERG. not. 79 ad §. 281. HAGEN *Grundriss der Experimentalchemie* 153.

RY, particularum heterogenearum partem ſuſpicimus, in aere circumnatantium, ibique commorantium *n*). Genuinam quidem, ſi ſpectes, aeris indolem, nec vitae nec ſanitati obeſſe, ſed miſturae alienorum ratione, variaque rerum natura ipſum ingredientium, valetudinem alterare ac laedere poteſt *o*). Nam ex pulmonibus hominum brutorumque myriadum emiſſus aër, diverſas tot multiplicis regni e globo particulas recipit, ope ſolis, innati caloris, äeris, ventorum et aquarum evolutas, toti corporis oeconomiae plus minuſve infeſtas: quippe, cum non ſolum ambiat corpus, ſed et per patula cutis, oris, nariumque ſpiracula

n) HENSCHEL diſſ. de athmoſph. eiusq. in C. H. efficacia, Hal. 1787. 12.

o) M. L. LEVI diſſ. de morb. epidem. Goett. 1776. 20.

ad intima eius penetralia perveniat. Summum vero, ut constat, detrimentum aër capit, pessime corpus afficiens; si non renovatus multoties vitali adhibeatur respirationi. Versantibus enim pluribus angusto in loco hominibus, munditiem non colentibus, saluberrimo paullo post destituitur principio, situmque veluti contrahendo vappescit, suo orbatus elatere. Noxiis denique, quae e pulmonibus corporisque superficie exhalant vaporibus, rerum tot heterogenearum gravidus aër tanta gaudet virulentia, quanta pestifero illi contagio sufficit producendo.

CAP. V.

Morbi historiam sistens.

Non idem semper observatur morbi decursus, idemve symptomatum agmen, sed magna

eorum

eorum varietate circumfusus, facie polymorpha interdum incedit affectus: nullis periodis nec diebus, quibus evadat aut succumbat aeger, adstrictus. Multos tertius, quartus, imo secundus occidit dies; quid! quod ipsa infectionis momenta visa sint lethalia. Complures praeterlapsa altera, tertia, quartave hebdomade reconvalescunt, aut intra illud tempus morbi atrocitate pereunt. Accidit tamen, ut tardius ad integritatem redeant. Quo ferocius furit aspera hyems; eo perniciosior evadit morbus, plerumque epidemicus, nonnumquam sporadice infestans. Ut vero clarius innotescat eius facies, omnium eorum, quae morbum nunc antecedunt, nunc concomitantur et subsequuntur, succinctam tradam historiam. In hunc proclivis se non belle habere incipit, accedit color faciei mutatus, pandiculatio, caloris vagi,

frigo-

frigorisque vicissitudines p). Horripilationes excipit gravitas capitisque dolor, dorsum, lumbos, nonnumquam latera occupans, subinde arthritici instar, vagans. Conqueruntur de lassitudine, ac si multo labore essent defatigati, deque omnium membrorum dedolatione. Accedit vertigo, nausea, vomendi conatus aut ipse vomitus, vappidoque sapore imbutum os omnes fastidit cibos. Quibus iunguntur languor, virium lapsus, pusillanimitas insolitaque animi deiectio q). Primis haud raro diebus supervenit mentis obnubilatio, et leviter insanit

p) LIND l. c. 310. PRINGLE 341. MONRO 7. BROCKLESBY 136. CAMPBELL 57. HEYSHAM 8. WALL 4. GRANT 94. GARDIN. 215.

q) PRINGL. 343. MONRO II. 15. GRANT 44. 78. BROCKL. 150. BLANE 267. HEYSH. ib. WALL 5. 32.

ſanit aeger, aliena obloquens. Pulſus utplurimum ſunt parvi ac celeres, magni interdum imo naturali paulo frequentiores. Lingua apparet alba ſicca, aliquando deprehenditur humida, ſtriis notata. Cutis eſt ſicca, aut levi madet ſudore. Urina intenſe eſt rubra, aut citrini coloris, turbida nonnumquam, vel parum a naturali recedens. Aegri vultus adſpectu triſtis, ferocitatem non raro, nescio quam, prae ſe fert, vacillant genua, pedibus manibusque magno tremore correptis r). Nox ducitur inſomnis, pavoribus et phantaſmatis interrupta avolat et e lecto ſurgentes feſſos potius ac ſomno recreatos invenies. In hac valetudinis ambiguitate per aliquot dies incerto pede obambulat aeger, oſcitans et inſolito torpore

r) HUXHAM 126. 235., WALL. MONRO, PRINGLE, GRANT, HEYSH. loc. cit.

pore languens. Muneribus perfungendis praeesse conatur, pessime sibi consulens.

Ingravescente valetudine omnia aggravantur symptomata. Summa inquietudo viriumque debilitas incredibili cum anxietate adstantibus vix ferenda, lecto defixum nunc excercent, gemendo acerbam deplorantem sortem. Oculorum fit tristior adspectus, dolent, languent, lucem refugiunt, et adnata, ut in Chemosi, suffusis rubet humoribus *s*). Caput magis magisque ingrauatur et obnubilatur. Nam saevus dolor nunc omne caput nunc syncipue et occiput seorsim infestat, aut circa tempora furit. Deliria plerumque sunt continua, sua-

via

s) LESTSOM 35. CAMPB. 59. MONRO 15. 22. BROCKLESBY 138. WALL 4. GRANT 91. HUXH. al.

via, breviaque lucida intercurrunt intervalla. Cum somno indulgere videantur, clausisque oculis dormientis imaginem referant, vividis paullo post perterriti insomniis expergefiunt, absona reddentes responsa: nec prius redit mens, donec sibi habeant persuasum, spectra vanaque idearum simulacra inter dormiendum ipsis obvolitasse. Nonnumquam calor fit intensior imo acer, cum siti haud exigua. Pulsus debilis, fere semper aequalis, sed celerrimus micat, ita, ut intra minuti spatium centum et quinquaginta plus minusve numerentur vibrationes *t*). Lingua est arida, fissa, fumo quasi indurata omnis impos motus, nedum loquelae: Interdum naturali gaudet colore, sed superficies

vitrea

t) HUNTER 348. LETTS. 45. MONRO 25 HEYSH. 12. CAMPB. 60. BROCKL. 138. GRANT 150.

vitrea apparet, dura ubique aut ſcabra. Urina, quae mittitur, rutila, raro ſedimentum deponit, nubeculis aliquando nigricantibus punctis interſperſis, ceu tantillum ſanguinis ipſi fuiſſet admixtum, turbatur *u*). Capite primarie adfecto limpidum ac tenue reddunt lotium ſiniſtro ut cunqueaugurio. Per omne morbi ſtadium cutis ſubinde deprehenditur humida aut hinc illinc erumpunt ſudores, imo ſudore quandoque diffluit corpus. Utplurimum alvus naturali tardior et ſtricta, interdum laxa nimis cum crebris ac foetentibus deiectionibus. Nec infrequens eſt narium haemorrhagia ſubinde profuſa: porro ſuſurrus auriumque tinnitus ac ſurditas; morituris gravior eſt obauditio. Genae, ut illae phthiſicorum, ardent nonnun-
quam

u) HUXH. 235. CAMPB. 60. PINGL. 344. MONRO. 12. HEYSH. 8. LETTS. 37.

quam, et circumſcripto rubore ſplendent nec fauſto omine pupilla, ut in Hydrocephalo ampla invenitur et dilatata. Accedunt ſaepius raucedo, tuſſiendi proclivitas, pectoriſque inflammatio, factoque ad pulmones humorum decubitu, cocta ejiciuntur ſputa cum pungente laterum dolore, capite incolumi permanente v). Nonnulli vomitu ſanguinem rejiciunt aut e gingivis exſtillans ori adhaereſcit, animamque reddit foetentem. Pertinax aliquando vexat ſingultus, rheumatici affectus et iſchuria cum tumore ac fluctuatione in abdomine, motusque convulſivi ſerius citiusve aegros miſere affligunt. — Morbo in mortem vergenti ſuperveniunt aphonia, extremitatum frigus, in-

vo-

v) HUXH. 66. 312. CAMPB. 64. HUNT. 364. LETTS. 81. MONRO 7. 33. HEYSH. 9. 13. LIND, GRANT 147.

voluntariae exercitiones, facies collapſa frigido eſt obſeſſa ſudore, pulſus tremulus ſub digitis repens, adeo celer, ut eius micatus vix percipi queant. Oculorum ſplendor evaneſcit, angulis ſqualore obſeſſis. Os faucesque nigro ſqualent muco. Aegri jacent attoniti aut perpetuo detenti delirio, omnia, quae deglutienda propinantur, pertinaciter recuſantes. Tremores dein tendinumque ſubſultus vitae filum abrumpunt.

En diram morbi faciem! Sed alio evenit tempore, ut celerior ſit morbi decurſus ac praeceps incrementum, cunctis ſymptomatibus in deteriorem abeuntibus partem. Gravem capitis dolorem mox excipit animi abjectio, angor, tantaque virium proſtratio, ut leviſſimos corporis motus animi deliquia comitentur *w*). Pallens ac livida contabeſcit facies, tre-

w) CAMPB. 61. MONRO II, HUXH. 117. HEYSH. 9.

trement artus, linguaque ore educta. Non multo poſt varia cutim perrumpunt exanthemata; nam vibices et petechiae purpureae aut lividae corpus nonnumquam defoedant aut puſtulae in facie efflorefcunt elatae, acri ichore plenae *x*). Interdum Miliaria, aurium apoſtemata faucium que, Parotides, Bubones, Anthraces in febre ſunt viſi *y*). Os ſi inſpexeris, omnia Aphthis albis, fuſcis nigriſve obſita invenies. Aeger ſuave delirat aut ſtupet comatoſus, gemit, ſe optime valere de valetudine ſciſcitantibus reſpondet. Omnibus tan-

x) HUNT. 353. BROCKL. 138. MONRO 17. 21. BLANE 271. CAMPB. HUXHAM, PRINGLE, LIND, GRANT.

y) MONRO 19. 52. HUXH. 256. LETTS. 81. GRANT, LIND, PINGLF, RUSH. cf. *Abh. für prakt. Aerzte, B. XI.* 724.

tandem fenfibus orbatus, pulfu arteriarum obtremifcente imo tardante, delirium profundo excipitur fomno, nec multo poft continuo.

Si reconvalefcit aeger, abs ulla evacuatione critica fero redit fanitas, priftinaque integritas. Ingens diu remanet virium lapfus ac membra macie adeo funt confecta, ut fuper offa haereat cutis. Refpiratio lenta, circulatio pigra, vox inarticulata, oculi funt cavi, crura occupat tumor, animusque negotiis nimis distractus fyncope aut delirio haud raro corripitur lethali.

CAP. VI.

Aetiologiam morbi exponens.

a. Caufa praedifponens.

In eruendo caufarum noftri affectus fcrutinio receptum a pathologis fequimur ordinem, illas

las in proximas et remotas, has iterum in disponentes divisuri et occasionales. Neutra enim sola producendo sufficit morbo, sed utrisque est opus concurrentibus, ut nascatur morbus z) — Quae itaque in disquisitionem veniunt morbosa seminia, si absint, nocens potentia nocere nequit. *Frigidior vero anni climatumque conditio, gelidusque coeli aërisque flatus*, ut primaria gravissimaque affectus causa, a nullo utpote auctore silentio praetermissa, venit accusanda. Tanti enim facit excitando in morbo, ut, adveniente calore plane non erumpet morbus, ni paulo ante saeviret, aut si erupit, sua sponte evanescat. Fervens hinc aestas, solisque ardore fota regio nec excipiendo, nec fovendo isti contagio inveniun-

tur

z) GAUBII pathol. gener. Norimb. 1787. 22.

tur apta. Frigidissimis anni mensibus morbum progerminare, celerrime sese diffundere ac primo vere ultro avolare, omnes fere uno testantur ore; nec unquam calidiori sub jove in navigiis ac xenodochiis, hominibus licet sordibus ferme sepultis scaterent, febrem observarunt *a*). Morbo hoc affecti marique commissi, calidiorem ac puriorem si spirant aerem, protinus sanitati restituuntur. Sin contingit, ut ingruente aestate et regione calidiori, neglecta omni munditie ac aegrotantium separatione, adhuc vigeat morbus, tunc longe mitior solet esse eius decursus. Mirum profecto ac dignum pervestigatione morbi attributum! Quanta huius phaenomeni solutio ac uni-

a) WALL. p. 10. HUNT. 354. HOWARD 55. CAMPB. 39. LIND 204. 209. 226. BLANE 214. 216. 141. 153. 274 al.

universae contagii doctrinae difficultate premitur, nec BLANIUM latet, qui ex *rariori vestium maxime lanearum usu, liberiori per domicilia aeris transitu, mutata corporis superficie, ex majori dein calore accedente, miasmatis volatilitate* prioris argumenti rationes deducit *b*). Altero autem argumento, praeeunte HUNTERO, calculum addere inclinat animus, *impeditum ac denegatum per diversoria frigidiori tempore aeris transitum accusando.* Alta nempe hyeme et quacunque in terra gelu obsessa illud hominum genus, nudis incedens pedibus, quod omnium maxime nostro patet morbo, tutum a frigore ac immiti borea in conclavibus quaerit refugium. Vestimentis igneque de-

b) ib. 213—215.

destituti miseri hi, magnis conveniunt catervis, fenestris portisque probe seclusis, perniciosis exhalationibus sordibusque in vestitu congestis, tantam brevi, vitali fluido labem inducunt, ut qualicunque demum ratione gignendo et disseminando contagio aptum reddatur. Eodem fere modo res se habet in carceribus pauperumque tabernis. — Permultas priori causas adjecere auctores, *victum crudum, parum nutrientem, intemperantiam, viriumque imbecillitatem, nec non ingrata incusando animi pathemata c)*. Quibus rite expensis eorum in sententiam ire, in remotarum serie illas collocando, non est quod obstet, cum junctis viribus corporis to-

c) HEYSH. 36. GRANT 18. BLANE 211. LIND 149. HOWARD. CAMPER. MONRO. RUSH.

robur, animique fortitudinem evertendo, maximam inferant debilitatem, alteram utut e praedisponentium catalogo causam. Qua quidem praesente omnes functiones plus minusve laedi, transpirationem ac se- et excretiones supprimi, corpusque ad agmen morborum potissimum contagiosorum *d*) suscipiendum, proclive reddi, haud difficile est intellectu —

b. Causa occasionalis.

In perscrutandis potentiis nocentibus duae in censum veniunt arcto utcunque vinculo adinvicem nexae. *Immundities nimirum, ma-*

d) ZIMMERMANN l. c. 537. BEYR l. c. Sect. 3. 20.

ximeque neglecta corporis cura hominum, loca ab aëris accessu remota, cohabitantium. In actum vero erumpit nullo non tempore noster affectus in infimae sortis hominibus, quos dura premit paupertas, rerumque necessitas, eaque petit loca, dictis obvia caufis: tuguria scil. pauperumque diversoria; insequitur ptochodochea, ergastula, operariasque domus; infestat castra et navigia cumprimis bellica; summoque prosequitur odio nosocomia, carceresque ac quaelibet dein captivorum receptacula, nimis referta. Pleraque haecce loca calamitatibus undique obruta, summe infelicia reddit malum insurgens! Omnibus enim, quae vitam in tot tantisque miseriis perferendis jucundiorem faciunt, destituti; saevis subinde doloribus, morbisque excruciati, vinculis imo onusti, fractis fame, curis, vigiliisque viribus, prope jam consumun-

tur malorum focii! Sordidis porro a multo inde tempore utuntur veftimentis, femiputridis fere, cutanea perfpiratione foetidiffimis, omnique fqualore immerfis, rigidis! Summo tandem coeli beneficio fudo carent; cum a renovati aëris hauftu exclufi, fuam noxiis totque peftiferis vaporibus effluviisque imbutam athmofphaeram per pulmones femel atque iterum imbibere coguntur! Fieri itaque non poteft, quin tantam fenfim contrahat vim ac nocendi poteftatim ille aër, ut illaefa fanitate illum non amplius haurire poffint mortales, ac praefenti inaffuetis nonnumquam evadat veneno. — Quilibet nunc facile perfpiciet, cur navigia, caftra, nofodochia carceresque potiffimum infeftet ferox ille affectus? Illi enim contagio prae ceteris ea favent loca, quae tantam tenent hominum multitudinem, quantam circumfcriptus vix locus capere valet.

c. Causa proxima.

Ad proximam, quae restat investiganda, caussam morbi enucleandam, perniciosior aëris status, in quo evolvitur miasma, in discrimen venit †). Purus autem aër nunquam contagium secum devehit, sed efficacissimum miasmatis videtur antidotum; quod quidem loca, in quibus diffunditur contagium rationesque ipsi occurrendi testantur. *e*) Magnas hinc subeat mutationes, ut illi spargendo par evadat contagio, necesse est. Hoc vero vitium in athmosphaera tunc latitans ex una aëris specie vel praevalente vel deficiente absque

---

e) OWEN l. c. 374.

†) Qua in re mecum dissentit CAMPBELLIUS qui illam e debilitate corporis ac vasorum cerebri non satis tuto deducere studet.

que hallucinatione vix deduci licet, quamvis conſtet omnem non aërem, conſtitutivas ſi reſpexeris partes, ad ſpirandi negotium aeque evadere aptum. Omnium quidem conſenſu reſpirationis organis amiciſſimus ac ſummopere idoneus dephlogiſticatus deprehenditur, ſeu ignearum partium ditiſſimus aër. *f*). Licet autem permultis in morbis magno ſit auxilio, minimam tamen atmoſphaerae conſtituit partem: nam meracum ſine valetudinis detrimento ſanus diu ferre nequit. E diametro ipſi oppoſitus, qui audit phlogiſticatus, phlogiſto ſcatet *g*), magnaque licet copia atmoſphaerico maritatus aëri, perutilis ejus habetur pars, quantitate vero peccans, phlo-

f) HAGEN l. c. 148. 149.

g) ibid.

phlogisti secretionem ejusque evacuationem per pulmones cohibendo, summe nocet. Fixus denique aër singulari gaudens acido, non tamen phlogisti expers *h*), ni exsuperet impune fertur; meracus vero athmosphaerico junctus pessime corpus afficit, nam suo, quo omnibus praecellit, pondere, acerrimus est vitae hostis *i*). Iustum, quamdiu inter aëris trigam consistit aequilibrium nec inflammabili principio, aliisque vitiis peccat atmosphaera, saluberrimo tamdiu circumfundimur jove, omni labe immuni. Quod si vero una aëris species exsuperat, vita plus minusve pe-

recli-

g) ibid.

h) BLUMENBACH. instit. physiol. 112.

i) DAY l. c. 35.

riclitatur. Sed omnia cum animantia, quae respirant, dephlogisticatum aëris principium absumant, et fixum ac phlogisticatum reddant aerem *k*), hinc ille, qui ea subit ac circa circum stagnat haud renovatus et multitudine illorum circumfusus usui inserviens, brevi tempore summo ipsis erit detrimento. Talis est aëris conditio in carceribus nosocomiis, navibus et quocunque multorum hominum diversorio non rite ventilato. Summam, ut ante ostensum est, concipit virulentiam, cum quisquiliis tot variique generis impuritatibus in vestimentis sordidi corporis maxime nidulantibus inquinetur. Rerum adeo heterogenearum concursu et mixtione veluti e germine ignotum evolvitur venenum, quod pro-

k) HAGEN 151.

propriam five fpeciem, novamque quafi aë-ris genefin, five fpecificum dixeris, fuique generis miafma, in illo obvolitans aëre *). Oboritur tamen fufpicio, *illud effe virus fingularis indolis, fubtile admodum ac volatile.* Quod fi femel fomitem concepit, coeco tum actum furore huc illuc vagatur dimanatque in vicinos, fimili labe eos afficiens. Nulli fere parcens aetati, aut ulli corpori in fanos non folum aegris incautius affidentes propagatur, fed et hi contagionis nefcii, veftibus, quibus diutius adhaeret, in diffitas maxime fecum afferre poffunt regiones. — Prima vero

quae

*) Ingeniofa Alderfonii (l. c. 16. 32. prol.) hypothefis, qui, hocce miafma venenatae corporis maximeque pulmonum excretioni, febre viventium exhalationibus enata, fuam debere originem, evincere ftudet, inanitatis fufpicionem prae fe ferre videtur.

quae ſint hujuſce miaſmatis ſtamina, qualesve ſubeat athmoſphaera, cum hoc inſurgat venenum, mutationes? ſi ex me quaeris, me illud ignorare, cum HUNTERO aliisque ingenue fateor: nam ejus natura tam alta premitur caligine, reliquorum inſtar miaſmatum; ut ipſi removendae vix par evadat mortalium ullus. *l*). Eſt enim ultra, quod physicis investigationibus progredi nequis, et quo plus rerum cauſas rimari vis, eo magis erroribus implicari periclitaris. Malum praevertere, ipſi medicinam facere, obicemque ponere didiciſſe, nobis ſufficiat.

CAP.

l) DAY 20. 38. HUNTER 353.

CAP. VII.

Differentiam ſiſtens a putrida febre.

Ad arduam nunc et magni rem momenti conſiderandam ordo me ducit ac rei dignitas. Gravis nimirum error, qui multos magnique ingenii viros diu tenuit, et magna ex parte illorum animis adhuc haeret infixus, erit impugnandus, eaque qua decet, obſervantia refutandus. Noſtrum vero affectum conſtanter putridae eſſe indolis, ac intenſiori modo putredinis gradu ab omni putrida febre abludentem, ſententiae video addictos HUXHAMUM *m*), PRINGLIUM *n*), MON-

m) l. c. T. I. 268.

n) l. c. 339.

MONRONUM *o*), BROCKLESBYUM *p*), HOMIUM *q*), LETTSOMIUM *r*), F. HOFMANNUM *s*), SWIETENIUM *t*), HAENIUM *u*), STOLLIUM *v*), ZIM-

MER-

---

o) T. I. 76.

p) *Beobacht.* 140.

q) Princip. medic. Edinb. 1758. 84.

r) l. c. 17.

s) Fundam. path. ſpec. Hal. 1747. 86.

t) Malad. des armeés Par. 1760. 136. Commentar. T. IV.

u) Rat. med. T. III. XI.

v) Rat. med. T. 2. 185. Aphor. 164.

MERMANN *w*), R. A. et S. G. VOGELIUM *x*), UNZERUM *y*), QUARINUM *z*), SELLIUM *a*), BURSERIUM *b*) al. ac potiſſimum illos, quibus aliorum ex deſcriptione innotuit ille. Quod ſi vero recentiores, qui febris mentionem fecerunt, auctores conſulimus, ipſisque, qui diu

w) *Von der Erfahr.* 387. *Von der Ruhr* 201.

x) De cogn. et cur. C. H. affect. §. 54. *Prakt. Handbuch* T. 1. 367.

y) *Pathol. der anſteck. Krankh.* 235. *Mediz. Handb. B.* 2. 248.

z) Method. medend. febr. 39.

a) Pyretol. meth. 179. Med. Cl. 27.

b) Inſt. med. pr. T. 1. 351.

diu noctuque aegrorum lectis assidentes, morbi indolem attenta indagarunt mente, fidem denegare nolumus, eorum in sententiam, qui nostram a putrida probe discernunt febre, ire impellimur. Licet vero morbum singularem, a putredinis genio abhorrentem, febris speciem habeamus, facile tamen largiemur, illum certis sub conditionibus quammaxime in putridum vergere statum. Hoc praecipue eveniet, quando favet epidemica anni constitutio, aut aegrotantis athmosphaera putridis forte scatet effluviis, aut Scorbutus, Dysenteria, aër calidior, laxior corporis habitus aliaeque hujus commatis circumstantiae concurrunt, ubi facillime degenerat morbus, ac symptomatibus humorum fusionem testantibus maxime versus finem complicatur. Id tantum pernegamus: nec solidorum labem, nec putridam humorum diathesin characterem

noſtrae febris eſſentialem efficere ac conſtantem. — Praecipua vero criteria, quibus uterque diſtinguitur morbus, ſunt ſequentia:

1. *Intenſum frigus adultamque hyemem maxime amat noſter affectus.* Veris enim teporem ac aeſtatis ardorem cane pejus et angue fugit, et tantum abeſt, ut arceatur gelu, opprimaturve contagium, ut ſummo frigoris gradu, hyemisque umbilico atrociter furere incipiat ac jugulare. Propterea etiam calidiori in zona et ardente ſyrio fere nusquam, ut ſupra monui, obſervatur dira contagio. Contrarias et e diametro oppoſitas plerumque obſervant leges, putrida febris, multique morbi contagioſi, hyemem ac frigora, citatis quantum poſſunt, paſſibus fugientes. Calidum enim humidumque aërem deamat putredo, qui ambiendo ac penetrando

do corpora, ſolida relaxat, fluida inteſtinos in motus ciet, juſtam eorum craſin alterans. Summum hyemis frigus graviſſimarum progreſſui febrium efficacius reſiſtere, teſtatur PRINGLIUS aliique cum illo, calidiſſimis in regionibus ac in temperatiovibus fervente aeſtate febres potiſſimum obſervantes c). Frigus, inquam, quo peſtem et variolas in fugam verti tradunt, SYDENHAM d) et MERTENS e), miaſmatum vim infringit et augendo corporis robur diſpoſitionem ad pleroſque morbos epidemicos tollit. Quibus aſſen-

c) OWEN 362.

d) Opp. omn. Genev. 1716. 23. 65.

e) Obſ. de febr. putr. peſte, aliisque morb. Vien. 1778. 81. 89.

aſſentitur HUXHAM, *frigida*, dicens, *vel procelloſa tempeſtas aut contagem arcet aut peſtilentialem diſpellit auram; cum per humidam calidamque aëris temperiem contagioſi maxime propagentur morbi f*)

2. *Scorbutica labe affecti vix unquam huic patent contagio et diutiſſime infectioni reſiſtunt g*). Cum vero Scorbutus ex omnium ſententia in ultimo morbi ſtadio in putridam vergit naturam, multorumque dein ſymptomatum, cauſarum ac medelae habita ratione

f) Opp. T. 1. 66. 61.

g) LIND l. c. 188. 195. 196. *Vom Schaarbock, Leipz.* 1775. 95. MILMAN inquiry into the ſource of the ſcurvy and of putrid fevers, Lond. 1782. 91. FERRIS l. c. 506. GRANT l. c. 22. CAMPB. al.

tione putridus affectus et scorbuticus multum conveniunt, proxima utrisque intercedat familiaritas, necesse est *h*). Quid vero obstet, quo minus uterque affectus, si nostri indoles esset putredo, idem corpus simul saepissime invasurus, aut Hydrope et Ictero inveterato laborantes interdum sit occupaturus!

3. *Spontaneae et artificiales haemorrhagiae permagnae saepe saepius nostra in febre utilitatis sint visae.* Larga enim narium

 hae-

h) MILMAN l. c. 112. FERRIS l. c. 522. 527. GRANT enquiry into te nature of the fevers etc. Lond. 1771. 112. MEZLER *über die Wassersucht u. Ansleck. Ulm* 1787 171. DINCKGREVE diss. de similit. febr. putr. et scorb. al.

haemorrhagia, deliria ac congestiones superiora versus removendo multum levaminis aegris subinde adfert *i*). Nec ab initio solum sed ulteriori in morbi progressu, si res illas exigit, cum fructu celebrantur phlebotomiae *k*). Ejusmodi autem evacuationes inprimis serius institutas, in putrida febre sanguinea magno vix unquam carere periculo, nemo est, qui nescit. Sanguinis denique fluxus, qui sponte ipsi superveniunt perrarum adeo habentur salutare morbi conamen, ut summum plerumque discrimen annunci-

ent

i) LIND 194. 304. HUXHAM. 237.

k) LIND 189. BLANE 133. HUXHAM 238. GRANT 29. 60. 173. 148. MONRO 23. 36. PRINGLE 362.

ent *l*). Porro, *sanguis venis detractus inflammatoria peccans conditione m) crustam in morbi primordiis saepissime exhibet; imo, si serius venam secandi urget necessitas, spissus interdum prodit, corio tectus pleuritico; quidquod ipsam post mortem!* Alia profecto est sanguinis crasis, vergente in putredinem humorum massa, in qua laxiori gaudet sanguis contextu, tenuis ac dissolutus, fuscus, lividus, saniosus, aut nigris subinde maculis foedus apparet, perraro in coagulum tendens *n*).

4. *For-*

l) SELLE Pyret. 189. VOGELS *Handb.* T. 2. 413.

m) LIND, PRINGLE, MONRO, GRANT l. c. CAMPB. 124. WALL. 17. 24. 79.

n) SELLE l. c. 180. GRANT *Beob. über Fieber*, *Leipz.* 1775. 263.

4. *Foetidissimis suis exhalationibus imbuta athmosphaera, cum scorbutico tum putrido laborantibus morbo, maxime conveniens videtur medicina.* Constat nempe Scorbuto ac putrida decumbentes febre o) ex corruptiori multo majorem quam ex puriori magisque dephlogisticato aëre percipere fructum; quin imo in summum vitae discrimen incurrere, nec raro subitanea morte corripi priores, mutata eorum athmosphaera p). Noster contra affectus nullam admittit curationem, et optima quaevis incassum adhibentur pharmaca,

o) ERXLEBEN *Anfangsgr. d. Naturlehre*, *Gött.* 1787. 412. et p. 29. praefat. SELLE med. cl. 28.

p) LIND. *vom Schaarbock*, 182. 335. 644. RICHTER *chir. Bibl. B.* V. 534.

maca, ni noxia aëris qualitas emendetur, priſtina ejus integritate reſtituta *q*).

5. *E diverſa utrique febri ratione medendi*, *ex ſaluberrimo* nimirum *frigoris uſu* exterius in corpus admiſſi, aliud deducitur argumentum, in putrida febre *noſtris* jure ſuſpecto *r*). *Parca* etiam *nimis Acidorum*, *Opiique frequens ac praematura* noſtra in febre *adminiſtratio* haud minorem de diverſa utriusque affectus natura ſuſpicionem injiciunt. — *Integra* denique *denominationum cohors*, opinioni diu receptae parum favet, multo

q) LIND, DAY, MONRO, BROCKL., CAMPB., PAUL al. var. loc.

r) TODE *mediz. Bibl. B. III.* 17. VOGEL *Handb.* T. I. 422.

multo minus adhuc *contagiosa nostri indoles*, quae certe, ut pericula evicere, putrido nequaquam convenit morbo *s*).

6. *Tandem ad auctoritatem clarorum in arte virorum provoco*, qui in gravem hunc insurgentes errorem veterum de febris natura sententiam refutare omnes sunt aggressi *t*), „ *This poison*, inquit HUNTERUS, *has* „ *been supposed to arise from putrefaction* „ *and to produce a disease of the putrid* „ *kind. But, i suspect, we annex very* „ *vague, and ill defined ideas, to these* „ *terms.*

s) MEZLER l. c. 166. REIL diss. cit. §. 20. KRAUSE diss. qua disquir. an febr. putrid. sit contagiosa. Tubing. 1783.

t) GRANT l. c. 24. DAY 46. WALL 9. 17. HOWARD. 29. CAMPB. 5. 126.

„ *terms. If any thing is meant, it muſt* „ *be, that the poiſon produces in the living* „ *body the ſame changes, that happen to* „ *dead animal matter, while in a ſtate of* „ *putrefaction. That this is meant, will* „ *appear by the reaſonings and inferences* „ *made uſe of in the one caſe, being appli-* „ *ed to the other. Thus, putrefaction* „ *proceeds more rapidly in warm weather* „ *than in cold; and therefore, it has been* „ *ſuppoſed, that cold weather would be a* „ *check upon putrid diſeaſes. But* cold *is* „ *no prevention of the preſent diſeaſe; on* „ *the contrary, it proves, in one reſpect, a* „ *cauſe of it. If i may be allowed to il-* „ *luſtrate this ſubject ſtill farther, by what* „ *happens in warm climates, where the heat* „ *is believed greatly to forward the produ-* „ *ction of putrid diſeaſes, i would obſerve,*

„ *that*

*„ that for upwards of two years that i re-
„ mained in Jamaica, i never ſaw one in-
„ ſtance of the Hoſpital fever though the
„ military hoſpitals were often as much
„ crowded, as they are in Europe. The
„ heat proves a prevention of the diſeaſe, as
„ much as the cold forwards it's production.
„ When the weather begins to grow warm,
„ it gradually diſappears; yet ſuch as are
„ taken ill, have the fever more violent "*
etc. u)

CAP. VIII.

Diagnoſin morbi tradens.

E morbi deſcriptione ſupra exhibita colligere pronum eſt, febrem illam, nullum, quod patho-

u) l. c. 354. ſeq.

pathognomonicum dicere possis, signum agnoscere. Vera hinc ejusque genuina facies, nonnullis recte monentibus v), ab initiis adeo est larvata, ut eam ab ulla alia vix absque hallucinatione discernere potueris. Nam prodromos si spectes, primosque morbi insultus, omni fere febri communes dixeris. Difficillima itaque evadit diagnosis, utprimum se diffundit contagium aut sporadicus infestat, aut pectoris, viscerumque inflammationem aliaque mentitur fallax morbi genius. Et profectior quoque morbi aetas characteristicis destituta est signis, quibus prima dignoscitur fronte. E complurium hinc concursu symptomatum eorumque nexu felici, nec non ex sedula causarum indagatione petenda est morbi dia-

v) LIND l. c. 310. PRINGL. 342.

diagnosis. Respiciendum est ad vitae genus praegressum, ad domicilium et aegroti commercium cum aliis, denique ad aëris constitutionem et Epidemiam. De infectione non amplius dubitare licet, cum, regnante tali epidemia, aeger sit captus, carcere inclusus, et circa morbo detentos versetur, aut miasmatis odore tactus, et quocunque demum fomite venenum susceperit. Praesente autem febre ad alia quoque eaque quidem ipsi maxime familiaria, animum advertas oportet, symptomata. *Ingens* nempe *virium jactura*, *pusillanimitas* et *summa animi abjectio cum salutis desponsione* aegros semper occupat. Porro *mentis alienatio*, *manuum tremores* et *oculi quasi vitrei cum adnata sanguine suffusa* perpetui adeo inveniuntur affectus socii, ut ex illorum syndrome facillime innotuerit morbi natura. Hisce si jungere vis *contagi-*

um,

um, pulsuumque velocitatem, raro deficientem, de genio morbi anceps haud amplius haerebit judicium. Petechias verò lividasque cutis maculas, quibusdam ut placuit, diagnosticis adnumerare signis, religioni duco, quippe quae multorum suffragio autorum inconstans nimis sint morbi symptoma.

CAP. IX.

Prognosin morbi proponens.

In Prognosi tradenda ad virium, capitis et pectoris integritatem, in genere, ad functionum trigam quammaxime respiciendum est. Magna debilitas sinistrum plerumque eventum portendit; nam virium prostratio est signum malignitatis morbi ac periculi barome-

trum

trum *w*). Nec in minori vitae discrimine aeger versatur, si constans ac perpetuum illum exercet delirium; cum omne delirii genus in morbo sit alea plenum *x*). Perinde malum, vitalium viscerum inflammatio, integro licet capite, summe periculosa *y*). Cutis sicca, arida; nec non lingua aspera; dura quidquod nigra aut adspectu vitrea triste censetur morbi omen *z*). Pessimum: degluttiendi abolita facultas; ac audiendi, loquendi, visendi denegata potestas; porro capitis vacillatio; lingua tremens; crebrae lipothymiae,

w) BLANE 267. MONRO 46.

x) CAMPB. 66.

y) BLANE, CAMPB. ibid.

z) GRANT 157. CAMPB. 61.

miae, respiratio et arteriarum pulsus celerrimi, inaequales. Tendinum dein subsultus, excretiones involuntariae, summum fastidium, stupores, affectus comatosi et soporosi tristem fere semper morbi exitum praesagiunt. Tremores, qui superveniunt cum motibus convulsivis, extremitates si frigent, livent, si floccos colligit aeger, corruit, si facies frigido viscidoque sudore est obsessa, dentes ac fauces atris sordibus scatent, vox faucibus haeret, mortem ante portas esse colliges a). Oculi, prognosticorum fontium principes, certi utut sanitatis mortisve nuntii b) et nostro in morbo omni at-

a) HUXHAM 236. HEYSH. 18. 19. BROCKL. 138. MONRO al.

b) Pr. ALPIN de praes. vita et morte cur. GAUB. p. 300. GRUNER Semiot. phys. et path-

attentione digni ſunt viſi. Nam viſus hebetudo, oculi languidi, lucem fugientes, ſplendoris ac vitalis vigoris expertes cum adnata ſuffuſis tincta humoribus utcunque fere proximam denunciant mortem *c*). Pupilla patens lethalem ſtuporem et futuras praenunciat convulſiones. Petechiae cutisve maculae nec levant nec malum exaſperant; cuti enim diſcolori evadunt alii, eoque concolori nonnumquam ſuccumbunt *d*). Stipata alvus et naturali paulo tardior, eſt ſignum bonae notae

path. gener. compl. 242. PEZOLD de Progn. in febr. acut. Ed. II. 54.

c) LIND 274. CAMPB. 63.

d) HUNTER. 359. HEYSH. 19. MONR. 17. PRINGLE 350.

tae *e*), nimia vero, valde foetens, imo cruenta alvi dejectio cum desidendi cupiditate, pessima. Ambiguam plerumque exhibet prognosin urinae excretio; quamvis enim cruda et pallida valde sit mala, turbida tamen, rutila, quae sedimentum deponit, non semper levat. Sudores largi, qui in primitiis morbi erumpunt, haud raro malum suffocant: qui serius incidunt, nocent. Ingens calor, sitis ardens, quietis defectus cum ceteris infausta portendunt. Haemorrhagia nimis larga utcunque mala, quae vero e naribus est, salutaris quandoque. Quando locis vesicantibus tectis, quae miti scatent humore, gelatina

corii

e) WALL 5. 80. CAMPB. 70. BLANE 280. MONR. 12. HEYSH. 56. LETTS. 78.

corii instar tenax, pollicis crassitie incumbit, sinistri est ominis; qua seposita, in carne si apparent maculae pallidae fuscaeve, omnis salutis evanuit spes, et contra, si albidae sunt rufaeque *f*). Nihil laetius ac floridae pustulae in ἀκμῃ morbi, nil magis funestum lividis et subnigris *g*). Si vero aeger mentis est compos, viribus valet, in latera et dorsum cubare potest: nec cibos et medicamenta renuit, capitis dolor non valde excruciat aliaque contraria eveniunt symptomata, tunc laeta sperare licet. Sexus potior magis periclitatur ac sequior, infantes omnium minime.

CAP.

f) LIND 303. 275. 288

g) HUXH. 269.

CAP. X.

Infectionis modum exponens.

De viis, quibus illud miaſma corpus ingreditur, pauca diſſerere, mecum conſtitui. Triplici quidem via corpus noſtro patere videtur veneno; *cutanea* pariter ac *pulmonea inhalatione* ac demum *ſaliva*, noxiis imbuta particulis. Quid vero obſtet, quo minus per poros cutis reſorbeatur miaſma? cum corporis ſuperficies abſorbentibus undique ſcateat vaſculis; quae multa ſemper ex aëre recipiunt, et acerrimum quodvis venenum in teneris maxime locis ſubigere valent *h*). Hunc infectionis modum non admittit GARDINERUS

h) CRUIKSHANK anatomy of the abſorb. veſſels 114. GIRTANNER *über die vener. Krankh.* 238.

NERUS *artificiali hujusce miasmatis*, insitioni, aliorum more, plurimum favens *i*). Idem pernegat, in inspirationis negotio fieri posse, ut suscipiatur miasma, quin subsequenti exspiratione iterum exhauriatur; alias pulmones semper essent adfecti, necesse foret *k*). Estne autem haecce infectionis via unica? Quoties pulmonibus miasmate correptis dura patiuntur respirationis organa, v. g. ex variol. pestil. fere semper, nimiam forte ob volatilitatem, ex morbilloso; [si enim inoculatione nobis traditur istud miasma, perraro afficiuntur pulmones *l*)] ex nostrae denique

i) l. c. 191. 194.

k) ib. 192.

l) HOME med. facts and exp. 258. ROSENSTEIN *Kinderkrankh.* Ed. V. 327. BURSERIUS l. c. T. 2. 12. VOGEL *B.* 3. §. 56.

que ipſius febris miasmate! Neque ex ipſo infectionis loco ſuſcepti veneni conſtanti lege ſiniſtra emergunt ſymptomata, ſcil. in lue vener. morſu crotalor. viperar. rel. — Aliud, quo in ſententiae defenſionem utitur, argumentum in exquiſita bronchiorum ac veſicularum pulmonalium irritabilitate nititur, eorumque perpetua humorum ſecretione *m*). Quibus, veluti munimentis, inſtructi pulmones ejusmodi irritamentum haud impune ſuſtinerent, ne majori humorum accumulatione facta, veneni vis ejusque efficacia infringatur ac demulceatur, tuſſi, ſputisve paullo poſt eliminandi. Num vero omne ſub hiſce naturae conatibus ejicietur miasma! Nonne mulierum genitalia in coitu muco ſcatent, qui tamen, ſi fuerit impurus

m) GARD. 193.

rus, damno non caret! An phthisicorum foetens anima in ultimo morbi stadio omni caret infectionis metu? *n*) Taceamus alias vias, quas simul ingredi potest miasma! Nostrum denique virus narcotica ac sua vi stupefaciente irritabilitatem partiumque sensibilitatem diminuere potius quam exaltare videtur — *Ventriculus* tandem omnium consensu princeps existit infectionis fons ac regia via, quam miasmata, salivali latice impraegnata, intrare solent. Permulta quae huic favent sententiae et nostro in morbo occurrunt phaenomena. Praecipuum vero argumentum ex singulari, quem descripsimus,

n) FRACASTORIUS. opp. Lugd. 1554. 218. QUARIN animadv. practic. in div. morb. p. 68. ZIMMERMANN l. c. 389. VOGEL, V. SUIETEN, FRITZE al.

ſimus, odore o) in ventriculum penetrante repetendum eſt, quem nauſea, praecordiorum oppreſſio aut vomitus aliaque excipiunt ſymptomata, licet omnia haec, aeque ac illa, quae idiopathicam pulmonum affectionem teſtantur, me non monente, conſenſus lege explicari poſſint. Deglutitae etiam ſalivae ac emeticorum, quae malum in incunabulis haud raro ſupprimunt, nec non ſialagogorum vtilitas huic opinioni calculum adjiciunt.

CAP. XI.

Problemata quaedam ſolvens.

At cauſam rimari, cur iſte affectus Anglis adeo inveniatur infeſtus, ut Endemii morbi cogno-

o) HEYSH. 33. LIND 242. al. p. 43 cit.

gnomine a multis ſit ſalutatus, operae pretium videtur. Nam ab antiquiſſimis retro temporibus ad hodiernum usque diem gravi ac inſigni odio, imo graviori adhuc hodie Brittannicam proſequitur gentem ſaeva pernicies! Huic cauſae enodandae varias in ſententias iverunt auctores. Maximo autem ſtupore perculſus in peregrinationibus exoticos quosdam carceres haud ſecus ac patrios omni ſqualore immerſos, captivosque ſordibus quaſi ſepultos invenit HOWARDUS, ubi ne nomine quidem dirum innotuit malum! Ex ſequentibus vero in patria mali fontem emergere ratus eſt: „*Captivi*, ait, *juvenilem plerumque vitam viventes, apriori domicilio carnibus ac ſpirituoſis ſunt adſueti; rectaque gaudentes valetudine ſub validis corporis exercitationibus liberum vitae genus ſequebantur. Omnibus nunc deſtituti in profunda carcerum latibula dejiciuntur, tetro*

im-

immersa foetore, ac tenui victuque crudo emaciati ne cubili, cui fessa dent membra, reficiuntur.. Quibus denique ac praecipue libertatis amissione tanta illorum animos occupat dejectio ac vitae taedium ut plerique praecipiti abrepti fato non multo post naturae debitum reddant p). Dura autem haecce fata imo pejora adhuc cum aliis quoque in terris subeant captivi, alia mihi videtur subesse causa, omniumque optime magnus HALLERUS nodum huncce Gordium solvisse. Cum illo enim in itinere congrediens HOWARDUS cum sermo in id incideret, *ingentem captivorum numerum in Anglorum custodiis simul viventium*, ut mali fontem accusavit acutissimus vir! Genuinae huic sententiae primariae etiam si quid video, ex affe

p) HOWARD. 193.

afſe reſpondent morbi cauſae. Quo frequentior enim circumſcripto in loco exiſtit viuentium numerus, eo magis ac celerius aër, ni renovetur, depravetur, neceſſe eſt. — At aliis quoque populis noſtrum innotuiſſe affectum, paucis jam dilucidabo exemplis. Mota aliquot abhinc annos ſeditione, carceres in Hungaria captis refertos noſter invaſit morbus, ipſis et adſtantibus fatalis *q*): tantoque aliquando cum impetu in noſocomio S. Ludowici, neglecta in ea multitudine hominum munditie, deſaeviiſſe fertur, ut octingentos ſimul proſterneret homines *r*). Nec Galli tan-

q) CAMPB. 13.

r) HOWARD 83. 101.

tantum *s*), sed Itali, etiam *t*) Germani *u*); Russi, ac Hispani *v*) haud semper a morbo evasere immunes. Lateatne in tanta cognominum morbi diversitate ratio, cur aliis parum videatur cognitus ille affectus? — Recentiori dein aevo cur multo perniciosior crebriorque, ac quondam Anglorum carceres infestet? intellectu haud difficile est. In neglecta autem circa aegros corporis custodum cura, eorumve inscitia mali fontem delitescere, temere quidam sunt suspicati, cum *nimius captivorum numerus in dies accrescens solummodo sit increpandus.* In parvo enim Angliae

s) GRANT 42. *t*) CERA libr. cit. 82.

u) PRINGLE lib. I. pass., MONRO l. c. 3. seq.

v) LIND 307. 308.

gliae regno, numerum captivitate detentorum 7482 superare afferunt alii w), pluresque captivos illa peste quam suppliciis perire inde deducit G. PAULUS: quidquod illorum numerum, incredibile dictu! dimidia plus parte ultimo fuisse adauctum quinquennio, ad calculum revocavit DAY x). Quae cum ita sint, non est, quod mirationem moveat, si, crescentibus mali causis, multo frequentius ac solito funestius hodie morbum observamus. — Multo minus miremur, illud contagium toties petere Anglorum navigia, incredibili sese diffundens celeritate. Infectionis

w) HOWARD an account of the principal lazarettes in Europe; with var. pap. relat. to the plague, and furth. observ. on some foreign prisons and hospit. Warringt. 1789.

x) l. c. p. 20. 21.

nis enim fons ex illorum carceribus plerumque originem ducit, captivis contagii ſeminia ſecum afferentibus *y*).

CAP. XII.

Complicationes morbi tradens.

Complicari aliis cum morbis odio habens, liberum, ut multi, ſuper corpus exercere imperium amat noſter affectus. Verum enimvero HUNTERI opinio, unum miasma intra corpus ſuſceptum omnibus aditum praecludere, cum fidae repugnet experientiae, admitti nequit. Reliqua ut taceam, nonne variolae mor-

y) HUXHAM T. I. 256. OWEN l. c. 368. ALDERSON 61. DAY. LIND. BLANE al. var. loc.

morbilliqꝫ cum inter ſe tum aliis eum morbis frequenter connubia ineunt? Nec diſpar in noſtro obtinet ratio. Haud raro enim accedunt pectoris inflammationes, et, ut cadaverum ſectiones edocuere, encephali ac inteſtinorum. Sociam aliquando ſibi adſciſcit Tuſſim, Febrem flavam z), nervoſam, putridam ac depuratoriam SYDENHAMI; imo inflammatoriam a) Icterum b) dein, Dyſenteriam c), Iſchuriam d), Phthiſin e), Ophthalmiam, Anginam, Rheumatismum vagamque

z) LIND, BLANE paſſ.

a) GRANT p. 24. 141. 147. 149. 172.

b) BLANE 132. 273. GRANT 24.

c) MONRO 136. PRINGLE. BLANE.

d) HEYSH. 14. 57. MONR. 48.

e) BLANE 270.

que arthritidem *f*), rarius Scorbutum et Hydropem. Nonnumquam vermibus et intumescentia testiculorum complicatur morbus *g*); aut Miliaria *h*), Vibices ac Petechiae, maculae elatae et pustulae sanie repletae ceteraque cutis exanthemata aegrum prehendunt; superveniunt quoque Parotides ac Bubones, aurium fauciumque apostemata; dolores pedumque Gangraena imo Anthraces; sed satis infrequenter *i*). Gravioribus dein nexus symptomatibus subinde in aegrum irruit

f) LETTS. 81. 94. HUNTER. 365. RUSH l. c. 722. GRANT. MONRO. al.

g) BLANE 270. MONRO 45. 84. BROCKL. 139. LETTS. 63.

h) LIND 291. GRANT 150. WALL.

i) LIND 274. MONRO 19. 50. PRINGL. 351. al. p. 61. cit.

ruit ſingultu nimirum, vomitu ac perpetua nauſea, funeſta diarrhaea, haemorrhagiis, ſudoribus colliquativis et gravi auditu *k*). Ceterum haud difficile eſt perſpectu pro varia rerum conditione ſcil. vitae generis, aetatis, loci, tempeſtatis, ſolidorum denique ac fluidorum ratione, morbum cujusvis epidemiae in modum, ita complicari poſſe, ut nunc hoc nunc illud praevaleat ſymptoma.

CAP. XIII.

Extiſpicia luſtrans.

Pauca quaedam momenta de cadaverum inſpectionibus ſubjungere lubet. Quanta ſubinde

k) CAMPB. 66. MONRO. BROCKLESBY. HEYSH. HUXH. GRANT al.

inde exſtiterit, hujusce laboris utilitas in abditam morborum naturam lucem fundendo, nemo certe poſt immortales MORGAGNI labores in dubium vocare audebit *l*). Dolendum itaque eſt, quod ſive ex contagii metu ſive ſub pietatis, aut quovis alio praetextu noſtro in morbo plurimum neglecta ſunt extiſpicia. Lugens quoque fatetur CAMPBELLIUS quod ipſi ambienti denegatae ſint cadaverum luſtrationes *m*). Nonnullis ſecandis operam dedit PRINGLIUS, ea quae ipſe oculis perluſtravit et ex aliorum relatione accepit, nobis communicans *n*). Cerebrum ac cerebellum

l) cf. THIERY *Erfahr. in der Arzn. Wiſſ.* 83. 90.

m) l. c. 113.

n) 355 ſq.

bellum ſaepe inveniebat affectum, imo abſceſſus et puris ac ſeri accumulationem in cavis cerebri, aliquando etiam in orbitis. Albam praeterea perinde ac cineream cerebri ſubſtantiam, inflammatam, flaccidam ac molliorem reperiebat et aliquando, incolumi cerebro, inteſtina craſſa inflammata. Largam puris collectionem alii quoque in defunctorum cavitatibus viderunt, ſed cerebrum, affecto licet gravius capite, permanſit incolume, ut tamen vaſa eſſent paulo dilatata. Pulmones ſanguine turgentes in gangraenam tendebant. Inteſtina aliquando ingrati odoris laticem continebant ac vermes *o*). Corpora dein hocce morbo eneccata et BLANIUS diſſecuit, ſed mancam nimis tradidit ſectionis hiſtoriam.

San-

---

o) LIND 211 279. 328

Sanguinem parum coagulatum magnis in vasis offendebat et cruorem justo tenuiorem, attactu colliquescentem, subinde intestina fuere arrosa, perforata, aut biliosa colluvie imo Taeniis obsessa p).

CAP. XIV.

Medendi rationem edocens.

A. Prophylaxis.

Curaturo morbum duplex incumbit officium. Vel prophylactica via imminens malum praecavere studet, vel praesenti occurrere. Ejus vero sunt, quae primae satisfaciunt indicationi, artis subsidia, ut multa quae e publico comparari debeant aerario, principum cu-

p) 123. 270. 271.

ram exigant; medico in fidis confiliis proponendis fubfiftènte. — Maxima nimirum allaborandum eft cura, ut aëris circulatio juvetur, emendetur, qui factus eft impurior, ac omnimodo munditiei habeatur ratio. Omnia hinc loca fufpecta, maxime publica aedificia, ad multitudinem hominum excipiendam exftructa, five fint carceres, nofocomia, xenodochia, feu navigia et caftra ftativa; porro aedes operariae, ergaftula, ludi literarum, orphanotrophea rel. diligenter funt ventilanda ac libero aëri pervia reddenda. Talium aedificiorum is efto fitus, qui undique aëris acceffui pateat; quare in amplo et loco fublimi a noxiis paludum effluviis procul remota exftruantur, undanti flumini, fieri fi poteft, proxima; ne aqua careant ad fordes eluendas, ac ventorum poteftati obviae aedes faluberrimum utcunque aërem recipiant. Praeterea

terea domicilia circa circum feneftris, quibus valvae, fpiracula, parvique ventilatores adaptantur, cingi; januae foramine inftrui; et feneftrae ex oppofito fitae faepiffime, et, ni pro cubiculo inferviant illa, totam per noctem aperiri debent; ut ventis eo melius pateant q). Magnam vero hifce locis utilitatem adferunt ventilatores HALESII r), ex illo tempore

VEN-

q) cf. Mem. de l'acad. roj. des fcienc. a Par. 1780. 40, et 1784. 680. CRELL *chem. Annalen* 1787. *B. II.* 340. PETIT Mem. fur la meill. manier. de conftruire un Hopital des malades Par. 1774. TENON mem. fur les Hopitaux de Paris 1788. mem. V. HOWARD *über Gefängn. u. Zuchthäufer, Leipz.* 1780. 71. NAHUYS de qualit. aër. nox. in nofocom. et carcer. Harlem. 1770. 117. AIKIN l. c. KRÜNITZ *oekonom. technol. Encyclopädie, B.* 47. 139. fq. Rel. p. 584. cit. inv.

r) Treatife on ventilators, Lond. 1758. Vol. II.

VENTURAE, BEYSERI, inclyti THEDENII *s*) ac LENTINI *t*) aliorumque ſtudio multo utiliores facti. Haud exiguum quoque praeſtant commodum Vela aërea [*Windſeegel*] *u*) et colubrinae aëriferae [*Luftſchlangen v*)], quae magnam aëris excipiendo copiam infecta probe ventilant loca, ſed frigidum tanta vi aliquando aërem impel-

lant,

s) *Neue Bemerk. u. Erfahr. in der Wundarzneyk. Berl.* 1782. T. I. 147.

t) *Beyträge zur ausübend. Arzneywiſſ. Lpz.* 1789. 353.

u) LIND l. c. 332. PRINGL. on the means for preſerving the health of mariners, Lond. 1776. 31. *de* BORY Mem. de l'acad. des ſcienc. cf. CRELL l. c. MICHAELIS *med. pract. Bibl. St.* I. 30.

v) *Sued. Abhandl. Leipz.* 1759. *B.* 19. 3.

lunt, ut orificiis proximi turbinem perferre nequeant. Sereno dein coelo ac tempeſtate tranquilla ſuos recuſant effectus, nec tuto nocturno adhibentur tempore. Neque ſilentio praetereundam duco WILKII machinam, qua unius hominis viribus recens admittitur aër, dum expellitur corruptus, coelo quieto *w*). Alium ſub aëripilae nomine apparatum invenit VENTURA, ſuttonianis tubis haud abſimilem *x*). Horum omnium mechanismo, cum propoſiti fines excedat, nunc deſcribendo ſuperſedeo. Porro pertinent huc Fiſtulae aëreae diverſimode conflatae; harum optimas forſan commendavit FORNELL, quarum altera apertura mobili perſimi-

w) ib. ann. 1769. 4.

x) ibid. ann. 1766. *B*. 28. 297.

ſimilis infundibulo, vento ſemper adverſo eſt collocanda, ut athmoſphaericus impellatur dum venenatus per alias aperturas eliciatur aër. *y*). Alii iterum alias propoſuere *z*). Quem vero Tubum ventilantem vocat CERA, calore potiſſimum, cujus magna vis in diſpellendo contagio ab antiquiſſimis retro temporibus ſummis laudibus eſt evecta, is ſe utilem praeſtare videtur *a*). Fumus enim et calor ſeu rarefaciendo ſeu venenatas particulas abſumendo aërem corrigunt et ab omnibus uno ore noſtro in morbo collaudantur. Diu inclaruit SUTTONIANA machina, commoda utpote, ſimpliciſſima, omnibus locis ac-

y) ib. 1759. *B.* 19. 3.

z) CAMPB. 18.

a) Tract. de febr. carcerar. 84.

accommodata, imo aegrorum cubiculis; dein cum semper agat, legibus physicis sit superstructa, nec magni constet pretii omnibus aliis illam praefert Cl. NAHUYS *b*). Pluris aestumant alii caminos portabiles, qui Nanceji conflantur, exiguae cum sint molis, pretii, ponderis, ac perpauci victus *c*). Spectant huc etiam Furni anemii et camini, ventilatorum officio hyberno rite tempore perfungentes *d*). LINDIUS vero navigia

ex-

b) l. c. 152.

c) *de* BORY *über Mittel die Luft zu reinigen in* CRELLS *Annal.* l. c. 360.

d) HOWARD *über Gefängn.* 72. EHMBSEN diss. de aëre corrupt. ejusq. remed. Goett. 1789. §. 59. SELLIER *über Mittel die Luft zu reinigen im Leipz. Magaz.* 1781. *St.* II. BLUMENBACH *mediz. Bibl. B.* 2. 5.

expurgaturus, clausis tunc aperturis, hominibusque semotis, pluribus in locis ignem ex anthracibus, cui herba nicotiona aut sulphur, arsenicum, pulvis pyrius et rudentes adjiciuntur, per triduum saepe, ut fumus omnia penetraret, accendi jussit, cui etiam vestimenta remigumque tegmina exposuit *e*). Nam frequens ipsi fuit observandi occasio, denso post navale proelium fumo oborto, contagii vim sponte desiisse. Picem alii, aut pulverem pyrium cum aceto in pastam redactum, aut nitrum cum pauxillo sulphuris flammae subjiciunt *f*). Sunt, qui carceres, locaque suspecta acido salis olei vitrioli ope evoluto, quod *de* MORVEAU commendat, quotannis so-

e) l. c. 228. sq. BLANE 200. CAMPB. 44.

f) BLANE ibid. LIND 139.

ſolicitare imperent *g*). Tandem fumus juniperi, lauri, pinus ſilveſtris, laricis, cortic. caſcarillae aliaque fragrantia ac inodora hujus ſunt fori. Acida vero cum vegetabilia tum mineralia multi haud impigra manu circumſpergi jubent; putridi miasmatis vano ſeducti metu; quae quidem miasmatis odorem ſed non ejus energiam infringere valent *h*). Alii fumo ignem efficaciorem putantes in abigendo contagio, omnes res infectas pro tempore ardenti committere fornaci auctores ſunt *i*). Ignis vi et magnus dux COCKIUS in

g) CRELL l. c. 348. BLUMENBACH l. c. 9. HAGEN l. c. 175.

h) HUNTER. l. c. 359. DAY 52. THEDEN l. c. 148.

i) CAMPB. 47. HOWARD 45. ALDERSON 90.

in itineribus contagium coërcuit. Magnam hodie ad illudendam nostri contagii vim aqua calcis famam obtinuit *k*). Machinas vero excogitavit ingeniosus DAY, huic scopo convenientes, quarum unius ope aqua calcis, pluviae instar, in infecta depluit loca, et in excipulum delapsa iterum subducitur. Alii vaporem aquae fluidae eam juxta aestimant *l*). Magna quoque ex dephlogisticati aëris usu dictis in locis exspectare licet e magnesia nigra *m*), vel ex plantis solis calore evoluti in cor-

k) ALSTON on quiklime and lime water Lond. 1750. DAY 39. CAMPB. 24. 49. ALDERSON 77. 83. HOWARD. GEHLER Prog. de var. aërem corr. emendandi mediis, Lips. 1781. II.

l) ALDERSON l. c. 71.

m) SELLE *Beytr. zur Natur u. Arzneywiss.* *B.* 3. I. VOGEL. *B.* 2. 430.

corrigendo aëre, quippe, quae, facem praeferentibus PRISTLEJO et INGENHOUSZIO, phlogisticatum absorbent aërem, dum dephlogisticatum exspirant. Nullum denique sanos ac inter aegrotos intercedat commercium, singulos suo lectulo detinendos. E carceribus dimissi, capti, transfugae adhibito non nisi balneo, mutatis vestibus, aut iis igne, fumoque probe sollicitatis; in publicum prodeant et in navigia recipiantur. Vestitus cubiliaque libero aëri saepius pervia reddenda, defunctorum abjicienda. Parietes, lacunaria et pavimenta hujusmodi locorum diligenter sunt mundanda, radenda, lixivio saponaceo vel aceto abluenda, et nova calce obducenda ac munditie strenue culta, ne detrimenti quid capiat aër, sedulo praecaveatur. Sed abripi me video objecti amoenitate, quod pro dignitate tractandum vires et libelli limites exsu-

ſuperat. Exactiorem, quem habere juvat, de remediis contagionem amolientibus, de cautelis ea exhibendi, cognitionem, illorum ſcripta, qui rem dato ſtudio pertractarunt, evolvat.

B. Cura radicalis.

Ad alteram et graviſſimam quidem in curando morbo nunc delabor partem, ea artis praeſidia luſtraturus, quae praeſenti malo medicinam faciunt. Cum autem, ni aëris integritatis ac munditiei ante omnia habeatur ratio, nulla ſit ſalus in morbo, ut utrisque proſpiciatur, ſi voti compos fieri velit naturae miniſter, ipſi curae cordique ſit. Prima, quae ſeſe dijudicanda offert, quaeſtio, *num artificialis phlebotomia noſtrae febri conveniat nec ne?* diu eſt agitata; cum alii

illam

illam in morbo profcribendam *n*), alii aliquando faepius reiterandam effe cenfeant *o*). Media hic certe incedendum eft via, virium ac fymptomatum ratione habita. Morbi vero decurfum attento animo perpendens, febrem neque largas neque iteratas V. S. aliasve evacuationes temere inftitutas ferre poffe, facillime perfpiciet. In juniori itaque ac decrepita aetate, cacochylia, laxiorique corporis habitu perraro locum inveniet: multo minus, fi pulfus parvi debiles, virium imbecillitas aut putrida peccat diathefis. Quod fi vero non defint plethorae figna, aetate floreat aeger, bono corporis habitu gaudeat, pulfus magnus, durus, aut parvum ex nimia humorum

n) HEYSH. 58. WALL II. CAMPB.

o) GRANT 148. 177. 156. 64. 29.

morum abundantia mentiatur, oppressumve, saeviente interea capitis, lumborum artuumque dolore cum sanguinis orgasmo, magnum tunc in V. S. habetur remedium. In phlogistica demum humorum diathesi, topicaque interiorum partium inflammatione sanguinem mittendi urget necessitas, nullo morbi stadio postponenda *p*). Sanguis ceterum, ni gravius flagitet symptoma, ut ipsi succurratur, cauta et avara usque detrahatur manu, et si fieri potest, inter morbi initia. Nam prudentis est, nonsolum videre, quae ante pedes sunt, sed et futura prospicere. Saepe enim altera aut prior sanguinis missio justo largior vires adeo dejicit, ut nulla arte eri-

gi

p) BLANE 278. 280. MONRO 23. 40. GARD. 218. PRINGLE 362. GRANT 29. 60. LIND.

gi queant, et cuncta mox in pejus ruant symptomata. Cum vero ejusmodi evacuationi ferendae vires sint impares et symptoma capiti forsan aut pectori inimicum, opem petat, minoribus e vasculis tutius elicietur sanguis, cucurbitulis pectori, nuchae, dorso etc. incisa cute defixis; hirudinibus pone aures, ad tempora alibive admotis, aut partium scarificationibus tentatis, quod quidem longe facilius ipsa fertur venae sectione.

Peracta aut omissa phlebotomia ad *Emeticum* transire, omni omnes decernunt suffragio. Morbus enim, cum e contagio sit ortus, miasma gastricis mixtum liquoribus, inspiratione, aut quavis alia ratione corpori advectum emetico protinus expellere medicamento, optime est visum. Maxime autem requiritur, cum infectionem in se persenserit

 aeger,

aeger, aut virus ventriculi nervos vellicando, aut per consensum afficiendo, nauseam, vomendi conatus, utilemve aut inanem producat vomitum. Nec minorem adfert utilitatem, si gustus et appetitus depravati, vertigo, hypochondriorum oppressio, sordida lingua, aliaque prim. viar. officinam multa scatere saburra sursum turgescente, fovendo ac morbo sustentando maxime idonea, signa edocent. Tanta autem, quae efficacissima febris antidota vocat LINDIVS, est emeticorum utilitas, ut saepe morbi curationem plane absolvant, imo ipsi vomendi conatus *q*). Commodum vero ex illorum usu in aegros redundans in eo potissimum nititur, ut impuritates veneno forsan imbutas sursum, ali-

quando

q) BLANE 277. LIND pass. GARD. 211.

quando deorſum ſimul eliminent, excretiones adjuvent, totumque corpus concutiendo cutaneos poros ſpaſtice plerumque occluſos referent, et diaphoreſin reſtituant. Exulent vero, viribus dejectis in magna ſanguinis congeſtione, viſcerumque inflammatione. Si vero ſordes p. v. inferiora petunt, aut obſtipata alvus congeſtiones adauget, aut ſtaſis inflammatoria aliaque vomitoriorum uſum reddunt ſuſpectum, caute recludenda eſt alvus, eccoprotico ſalino, tamarindinato aut rhabarbarino hunc in finem exhibito *r*). Oleoſa prae ceteris arrident, oleum ſcil. ricini bonae notae, amygd. dulc. olivar. quae acrimoniam involvendo, fomitemque mali demulcendo leni educunt modo. Draſticam

r) MONRO 24. PRINGLE 363. BLANE. WALL. HEYSHAM. 47 LIND 253. GRANT 82.

vero alvi purgationem animi deliquia, virium jactura, alvi profluvium, aliaque finiftri ominis haud raro excipiunt fymptomata. Egregia quoque ab *enematum* ufu fperare licet, quae, cum alvus obftructa cephalalgiam et delirii incrementum pariat augeatve ac quietis defectum, fordes eluendo ac derivando, aeftum ac humorum orgasmum fuperiora verfus coërcent. — Paucis nunc expedire, quid de *Diaphoreticis*, plurimum in febre collaudatis, fit ftatuendum, meum eft. Fuere, qui ob fummam contagii fubtilitatem quamocius fudoribus excitatis in fugam vertere venenum, auctores effent, falvis adhuc humoribus. Et magnas profecto laudes merentur haecce pharmaca, jufto exhibita tempore. Primo nimirum morbi infultu in neoinfectis, praemiffo emetico, ipfis enitendum eft, ut aucta tranfpiratione exhauriatur omnis mali fomes.

Anti-

Antimonialium hinc tartari fcil. emetici, pul. ver. Iacob. et vin. antim. Huxhami fumma eft laus ac dignitas *s*). Blanda enim ftimulandi ac refolvendi, qua pollent, virtute, epicratica illorum exhibitione ita augetur circulationis vis, ac folvuntur humores, ut facile per cutim confequatur excretio. Tartardein emet. in ventriculi nervos titillatione fe et excretiones leniter promoventur, abnormes fedantur motus, refracta dofi antifpasmodici officio irritando optime perfungentis. Quo melius ad cutim determinetur ejus vis, ac paululum refringatur ftimulandi facultas, leni opiato admixto, fopiuntur fenfus. Praeftans porro evadit medicamentum fpirit. Mindereri; cujus diaphoretica ac leniter irritans vir-

s) auct. mod. cit.

virtus in tollendo vaſorum capillarium ſpasmo magni in febre aeſtimatur. Camphoram dein prudenti adminiſtrare manu, ſi nec cacochylia nec phlogiſtica humorum diatheſis peccent, e re quoque erit. In illo autem calidiori regimine frequens potatio calidi potus leniter ſpirituoſi v. c. ſeri lact. vinoſ. acetat. infuſ. herb. aromatic. haud negligenda eſt. Tepor denique lecti, balnea tepida, ſemicupia nec non ſingularium partium fomentationes, liberiori ſumme favent tranſpirationi; nam omnia haec fibras vaſaque relaxando diluendo, ſpasmos ſedando, ſuave potius refrigerium ac aeſtum inducunt et perſpirationem *Sanctorianam* mire juvant. Sunt etiam, qui diaphoretica calidiora theriacam ſcil. ſalia alc. volat. et alexipharmaca varii generis inter morbi initia e re duxerunt exhibenda. At ſtimulante hac methodo, profuſi eliciuntur

ſu-

ſudores, aegri vires ad incitas rediguntur, imo provocantur exanthemata! Blandi enim ſint ſudores, aequaliter per corpus diffuſi, nec nimii aut conclavium calore, aucta ſtragulorum mole vel exaeſtuante expreſſi regimine *t*) —

Inter praecipua artis adminicula noſtra in febre militant *Cantharides* exterius adhibitae in capitis artuumve doloribus, praegreſſis evacuationibus, illico applicandae. Torpente autem vi vitali aut vitalis laticis circuitu circa caput commorante, quid admotis cuti cantharidibus ad illam excitandam et ad hunc derivandum erit praeſtantius, quid ad revellendum expeditius, quid ſatius? Nititur

po-

t) BLANE 283. HUXH. T. 2. 22. GRANT 37. 57.

potiſſimum illorum effectus lege revulſionis, nam ſtimulo ſuo exteriora verſus alliciunt humores, ſpaſticas ſedant affectiones, cutanea reſerant vaſa, ac ſolidum vivum excitando fluida inter ac ſolida reſtituunt aequilibrium. Capite gravius affecto, capillatam partem emplaſtro e canthar. conflato, reſectis crinibus, quidam tegi jubent, felici de eventu pluries obtento, a nonnullis licet denegato *u*), confiſi *v*). Laterum ſin infeſtet dolor, affectum obtineant locum. Quibus adhibitis omnis haud raro aufugit dolor, redit mens alienata. Cum vero ardor, ſitis ac deliria increbruerint, oculorum vigor evanuerit, et lan-

u) PRINGLE 376.

v) CAMPB. 72. 79. HEYSH. 53. BLANE 285. HUNTER 364. al.

langueat aeger, tremore aut stupore correptus; tunc infausta brevi haecce aliaque saepissime removent symptomata *w*). Valide quoque languentem vim vitalem revocant *sinapismi*, humorum versus superiora orgasmum compescunt, aliaque, ut epispastica, haud minora adferunt commoda. — Divinum autem illud remedium *Cortex Peruvianus* detritas aegri vires roborante pariter ac excitante sua virtute mire reficiens saepius efficit, ut viginti quatuor horis praeterlapsis, ad meliorem jam redeat frugem aegri valetudo. Qui vero fructum inde percipere cupit, illum ea exhibeat quantitate, cui ferendae par sit ventriculus, ut tamen alvi fluxus, quem forte excitet, anodyno cohibeatur *x*). Nil quidem prae-

w) LIND 252. 193. 243. 250.

x) BLANE 288. HUNTER 360. CAMPB. 68. HEYSH. 49. LETTS. 97. al.

praeſtantius ac efficacius pulvere corticis, quodſi autem illum faſtidiat aeger aut reſpuat ventriculus, decoctum ſaturatius, infuſum, extractum, elixiriumve ſubſtituatur. Corticem vero exhibiturus, prius inveſtiget, num quid obſtet, quod largiorem prohibeat uſum. Nam vaſorum plenitudo, quae inſignior eſt, ſordes prim. viar., congeſtiones, ferox delirium, lingua arida, calor et ſiccitas cutis, et inprimis ſtaſes viſcerum inflammatoriae, chinae uſum valde ſuſpectum reddunt. Sed in pulſus viriumque debilitate nec deliria nec pulſuum velocitas, nec os, cutisve ſicca, anheloſa reſpiratio, aut continens febris ab illo deterreant, ubi tamen in connubio antimonial. ſalium ac vini praeberi poteſt y). — Tan-

y) BLANE 288. LETTS. 10.

Tantam vero famam nostro in morbo nactus est *papaveris succus*, quantam vix ullum aliud remedii genus, omni febris stadio conveniens. Diaphoretica enim et antispasmodica vi non raro morbum quasi in incunabulis jugulat. Praestans haecce medicina cum camphora, antimonialibus connubia init, aut in pulvere Doweri et fluida demum forma propinatur z) Maxime inclaruit Opium in morbi fastigio, ubi tantum abest ut narcotica et stupefaciente vi morbum adaugeat, viriumque lapsum, ut antispasmodici excitantis imo roborantis fungatur officio. Duo nempe ipsi insunt principia, sedans alterum, alterum excitans: hoc citius, illud serius vires in corpus exserit *a*). Cum ita-

z) WALL 22. CAMPB. 94. BLANE 289. WHITERS 299.

a) LETTSOM 109. WHITERS l. c. 290 MARHERR l. c. T. 3. 414.

itaque maxima debilitas, sitis ac constans urgeat delirium, inquietudo et somnolentia fessa teneat membra, aut vivida terreant insomnia; porro, si aeger stupet, dolor capitis desaevit, tremores ac spastici superveniunt affectus cum pulsu parvo, celerrimo, ita; ut aeger vinum corticemque respuens succumbere videatur, tunc liberior sed prudens opii administratio praesens saepissime adfert auxilium *b*). Anxietatem enim et animi abjectionem in hilaritatem placidamque convertit quietem, dolores levat mentisque alienationes, cordis vires et arteriarum erigit et stimulo suo in nervos subito mutat morbi faciem. Si vero parca nimis manu distribuitur, infringendae vi morbi multo inferius

b) CAMPB. 78. sq. PLANE 290. HEYSH. 56. WALL. pass.

ferius incrementum potius ac ſymptomatum decrementum efficit. Triginta ad ſexaginta guttulas Tinct. thebaic. verſus decubitum alii porrigere ſolent, et eandem potionem, ſi deliria, ſitis ac cephalalgia proxima non remiſerunt luce *c*). Alii illud alia exhibent ratione *d*). Nunc vero exulent antimonialia *e*), et opiata vel per ſe vel variis nupta excitantibus v. c. aether. vitriol., liquor. anod., ſpir. volat. arom., ſerpentar. aut caſtor. et camphor. largiuntur. Caveas dein, ne egregio abutaris medicamento, cum eadem fere, imo majora, quae corticis, et Opii ſint caute-

lae

c) CAMPB. 94. 96. HEYSH. 56.

d) WALL 35. 50. BLANE 290.

e) WALL 23. CAMPB. 75. BLANE 289.

lae *f*). — Ceterum et alia huic morbi periodo ex excitantium classe remedia sunt convenientia, infus. serpent. contraj. moschus, castor. salia volatil. et Phosphorus forte, ac ingens denique spirituosorum suppellex. — Summum vero excitans in febre *Vinum* evadit, si tanta hauriatur copia, quanta viribus aegri refocillandis inserviat. Cum vero vini inter ac Opii virtutes singularis intercedat affinitas, nec ullum morbi symptoma opio amicum, vino sit inimicum, vinum substituat, qui ex largiori papaveris usu noxas timet, aut si votis non respondet. Ventriculo vinum non ferente et acidum eructante, aquam spirituosam aut spiritum vini nonnulli ipsi subministrant *g*). — Inclytum denique in febre inno-

f) BLANE ib.

g) CAMPB. 70. 76.

notuit remedium nulli fere aequiparandum, *frigus* fcil. *exterius corpori admiffum h*). Incredibile dictu! quantum ejus ope valebat LETTSOMIUS, quantaque celeritate graviffima morbi fymptomata frigore et cortice in fugam vertebat! Aegros enim e lectis exemtos liberoque aëri hyberno tempore faepius expofitos aut portis feneftrisque cubiculi reclufis, quamcelerrime fanitati reftituit. Quo major vero debilitas obtinet, eo potentior eft frigoris vis, certo applicata gradu fumme excitat nervofam vim languentem ac fibras vafaque roborando fpasmos e medio tollit *i*).

Agmen

h) LETTSOM 15. HEYSH. 40. GRANT 138.

i) ARCH. CULLEN diff. de frigore rec. in thef. diff. Edin. l. c. 183. 186. GREGORY *theoret. Arzneywiff. B.* 2. 103. 239.

Agmen claudunt quae *de symptomatibus morbi anomalis* restant dicenda. Evenit interdum, ut *nausea* aegros *perpetuusque* exerceat *vomitus*. Symptoma hoc a spasmo utplurimum proficiscens, anxietatem viriumque prostrationem inducens inclita RIVERII potione haud raro coërcetur, in effervescentiae actu deglutienda. Cui ni cedat, opiata aliaque substituantur antispasmodica ex- et interna cumprimis ventriculo grata *k*) Neoinfectos vero invadens ille affectus ad salutifera naturae conamina, fomitem mali ejicere studentis, referri meretur, impia numquam cohibenda manu. Magis habetur suspecta *Diarrhoea* primitiis morbi accedens. Provectiori ejus aetati superveniens utcunque ferme

k) MONRO 61. CAMPB. 73. 104.

me habetur periculosa. Anodynis hinc diaphoresin simul augentibus opiatis, vino, spirituosis, et involventibus incipienda curatio, progrediendo ad tonica, si lenioribus obtemperare nescit impetuosus affectus *l*) — *Spasticae* quae in morbo eminent *affectiones* v. c. singultus, tremores, tendinum subsultus rel. castor. mosch. pauxillo camphorae juncto aut tinct. spirit. feliciter nonnumquam superantur. Tumores critici, bubones ac parotides quantocius ad suppurationem ducendi, et aperiendi sunt. — Ingens, quae diu plerumque remanet, virium imbecillitas excitantibus ac roborantibus debellanda est, protracto nimirum corticis usu, lign. quassiae, vini, elixir. vitriol. alior. Collaudant quoque

Asam

l) HEYSH. 54. CAMPB. 70. GRANT 115.

Asam foetidam inerti utut ventriculo maxime gratam, nec febre plane sublata impune exhibendam, utque placidus fessis concilietur somnus, dormituris sopiens ex Opio paratur medicina *m*). Quibus conveniens et nutriens quidem accedere debet diaeteticum regimen. — Reliquis, quae superveniunt symptomatibus, a consueto morbi decursu abludentibus v. g. Tussi, Cephalalgiae, Haemorrhagiis, aliisque modo allatis pro viribus succurrendum, si propter vehementiam artis opem invocant.

Vivendi denique ratio morbi stadiis sit accommodata, necesse est. Persistente febre, si appetat aeger, cibus sit parcus, parum nutriens

m) BLANE 293. PRINGL. 378.

triens, ori gratus, e vegetabilibus potiſſimum mucilaginoſis, uti ſago, decoct. aven., hord. decort. al. conflatus *n*). Pro potu utatur vino aqua diluto, limonada, cereviſia bonae notae aut potu acidulo. Abſtineat a victu crudo, carne, ab omnibus demum, quae non rite digeruntur. Reconvaleſcente aegro, diaeta ſit tenera, enutriens, eupepta, frequentiori quidem ſed parciori diſtribuenda manu *o*). Animus aegrotantis ello compoſitus, futuri immemor, nec vanis diſtractus querelis; procul abſint adſtantium turbae, et, qui illum reddunt inquietum, vociferantium clamores *p*). Sit mens hilaris, laetae ſpei aura eventus felicis fota, nec anxiis agitata curis, ſua ſorte usque contenta.

n) HUNTER 360 HEYSH. 51 CAMPB. 68
o) BLANE 294. BROCKL. 155. HEYSH.
p) LIND 263. HEYSH. 42.

COLLECTIO II.

DOERING, Dr. S. F. L., *de Vomitu.*

EGGERT, Dr. J. D., *de virtute Anthelmintica Geoffraeae Surinamensis.*

GLADBACH, Dr. G. Chr. W., *de Amputatione.*

NEBEL, Dr. C. D., *de Spasmis atque Convulsionibus.*

PURGOLD, Dr. Fr. J., *Diss. vim Naturae humanae physicae fractam et enarvatam aetiologice inquirens.*

SOELLING, Dr. H. G. Fr., *de Febre Carcerum.*